MDXLII. DIE *prima Septembris. Congregati more solito Magnifici Conservatores Mutinæ, dictum fuit quod Reverendissimus Dom. Cardinalis Sadoletus dixit, quod in Collegio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Reverendissimorum pluries propositum fuit de aliquibus hujus Patriæ notatis de labe Hęresis, cui propositioni multum obviavit, & se opposuit pro honore hujus Civitatis, & ideo inter ipsos Reverendissimos Dom. Cardinales Sadoletum, Moronum, & Cortesium conclusum fuit, quod isti tales subscribere se deberent Articulis transmissis ex Roma huc, & in hujusmodi subscriptione scribere quod credunt, & se remittunt determinationi Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ; & Magnificus Dom. Joannes Castrovitreus tunc Prior dictorum Conservatorum exposuit sequens Proœmium, Articulis inde subscribendis compositum per dictos Reverendissimos Cardinales ob amorem Civitatis, quod infra ante Articulos subjicitur; subjungens ipse prefactus Dom. Joannes Castrovitreus hoc consultum fuit, fieri, & observari per Rever., & Illustr. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales tres Sadoletum, Moronum, & Cortesium insimul in hac Civitate commorantes, vel qui moram fecerunt, ita sentientes, & concludentes ad delendam omnis Hęresis labem hujus Civitatis, & quod bene Ipsa sentit, & a simili morbo est aliena; qui omnes DD. Conservatores, & DD. Adjuncti assenserunt, & consenserunt quod omnino, qui requisitus fuerit, se subscribat, confitendo credere quidquid credit S. R. E. C., cujus declarationi in omnibus se submittere volunt.*

PROŒMIUM.

CUM *non sine gravi animi nostri dolore, ac sollicitudine Nos tres S. R. E. Cardinales intelligamus hujus nobis charissimæ Patriæ nomen eo apud reliquas Italiæ Civitates male audire, quod aliquot Cives nostri in suspicionem venerint multa de Fide Christi Domini Nostri sentire, quæ a C. S. R. E. Decretis, ac Institutis, atque a majorum nostrorum sanctissimorum virorum sententiis abhorreant, qua quidem ignominiæ labe nulla esse major potest: Nos pro nostra in Patriam charitate huic Ejus infamiæ succurrere cupientes, id hac potissimum ratione consequi posse judicavimus, si eorum, qui ex Civitate nostra reliquis vel auctoritate, vel doctrina præstant, quique totius Civitatis non speciem modo gerunt, sed vim etiam in se, ac pondus continent, sius*

animus, & recta mens cunctis testata sit, atque nota. Sic enim existimamus; si tales Cives magno aliquo, & illustri argumento perspectum fuerit Catholicæ, ac Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ veros esse Filios, neque eos quicquam a recto, quod illa præmonstrat itinere, deflectere, fore, ut a prudentibus viris idem de reliquorum Civium sensu, ac probitate judicari possit. Nec tamen illud æquum esse censemus, ut si qui forte in hac Urbe imperiti, ac leves homines pravas aliquas de Fide opiniones proferant, paucorum eorum obscurorum hominum amentia, ac perversitas plus ad violandam hujus Civitatis existimationem possit, quam plurimorum, eorumque insignium Civium in vera pietate, atque orthodoxa Fide constantia, & gravitas ad eam ab omni impietatis labe, ac dedecore vindicandam, præsertim cum multis sæpe in rebus hac Civitas suam eximiam erga Deum religionem, erga homines charitatem, erga sanctam R. Ecclesiam observantiam declaraverit, & quotidie declarare sit parata. Quapropter ut omnis ab hac Catholica Civitate impietatis suspicio depellatur, atque ex nostra Cunctorum, quorum Nomina subscripta erunt, Fidei sinceritate, quid ceteri quoque Cives sentiant, ut diximus, existimari possit; visum est Nobis infrascriptas Sententias Fidei, ut existimamus, Catholicæ, ac Sanctissimorum Conciliorum Decretis congruentes consensu, & subscriptione nostrorum Nominum comprobare.

ARTICULI ORTHODOXÆ PROFESSIONIS.

Prima Interrogatio. *Quid est, esse Christianum?*

Resp. *Esse Christianum est, esse membrum Christi, ei incorporatum per Fidem, & Fidei Sacramenta.*

Secunda Interrogatio. *Membra omnia Christi sunt ne unius tantum modi?*

Resp. *Minime. Nam quædam in Christo vivunt, quædam vero non vivunt, licet quodammodo possent dici esse in Christo, & esse membra Christi.*

Tertia Interrogatio. *Quæ sunt Membra, quæ vivunt in Christo?*

Resp. *Christiani illi, in quibus per Fidem, & Charitatem inhabitat Spiritus Sanctus; Spiritus Christi per quem accipimus adoptionem Filiorum, in quo clamamus Abba Pater, quæ dona pretiosa, & excelsa promeruit nobis Christus.*

Quarta Interrogatio. *Quænam sunt Membra in Christo, mortua tamen?*

Resp. *Christiani illi, qui per Baptisma Consecrationem, & Characterem Christi acceperunt, sed Spiritu Sancto carent, vel ob fictionem, cum qua accesserunt ad Baptisma, & in qua perseverant, nam Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet dolum; vel quem ob pravitatem amiserunt.*

Quinta Interrogatio. *Quid sentiendum de Sacramentis Ecclesiæ secundum Fidem Orthodoxam, & Catholicam?*

Resp. *Sacramenta esse sensibilia signa invisibilis gratiæ, quæ susceptione infunditur per Fidem Passionis Christi, per quam nobis remittuntur peccata,*

tata, & datur Spiritus Sanctus; datusque fovetur, & augetur juxta dictum Apostoli ad Romanos: quem Deus posuit Propitiatorem per Fidem in Sanguine Ejus; *item*, per quem accepistis Spiritum Adoptionis Filiorum Dei; *item*, ut Pollicitationem Spiritus Sancti accipiamus per Fidem; *item*, ut in Ipso crescamus. *Hæc omnia expresse dicuntur a Beato Thoma in sua Summa.*

Sexta Interrogatio. *Quot sunt Sacramenta visibilia, & quæ Signa, quæ dicis?*

Resp. *Septem in summa, quamvis non eadem penitus ratione dicantur omnia hæc Sacramenta, sed hæc Quæstio non est hic discutienda.*

Septima Interrogatio. *Quænam sunt hæc septem Sacramenta?*

Resp. *Baptisma; Chrisma; Eucharistia; Pœnitentiæ Sacramentum; Extrema Unctio; Ordo; & Matrimonium.*

Octava Interrogatio. *Quid sentiendum de Baptismate secundum Fidem Orthodoxam?*

Resp. *Baptisma esse Ablutionem corporis exteriorem, quæ perficitur aqua simplici, & verbo invocatione Sanctæ Trinitatis, juxta Formam traditam in Evangelio;* & Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *& Apostolus ad Ephesios*, mundans Ecclesiam lavacro Aquæ in verbo. *Interior vero gratia est Consecratio, seu Character, quo Baptizatus inseritur Christo; ac deinde Spiritus Sanctus, seu gratia, qua adoptamur in filios Dei juxta illud Apostoli:* misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba. *In Adultis per Fidem Passionis Christi, & ejus virtutis & Consecratio, & Spiritus ejus recipitur præcedente pœnitentia veteris vitæ; quod si ficte accedant, intendant tamen baptizari, recipiunt utique Consecrationem, sed non recipiant Spiritum Sanctum. A Pueris vero per Fidem Ecclesiæ, a qua offeruntur, utrumque recipitur.*

Nona Interrogatio. *Quid sentiendum de Chrismate secundum Fidem Orthodoxam?*

Resp. *Esse Unctionem exteriorem, quæ fit in fronte oleo mixto balsamo sub præscripta forma verborum cum invocatione Trinitatis. Hoc Sacramentum colligitur ex nonnullis Scripturæ locis aperte, licet non fiat mentio Unctionis, & Olei; nam cœlitus in igne visibili Spiritus Sanctus descendebat per impositionem manuum Apostolorum, quo deficiente ex Divina Providentia, ne vilescerent miracula, & frustra fierent jam Fide diffusa; Ecclesia divinitus instituta, & per traditionem Apostolorum sufficit Olei unctionem. Hoc Sacramento omnes Ecclesiæ utuntur; sed Græci statim post Baptismum ungunt Chrismate; ideo Dionysius de hac unctione mentionem fecit cum tractat de Baptismate. Interior effectus hujus Sacramenti est Consecratio primum, qua deputatur Chrismate unctus inter perfectos Christi professores, qui non egeant lacte, sed solido cibo, & palam Christum profiteantur. Datur item de-*

devote; & cum fide accedentibus Spiritus Sancti robur.

Decima Interrogatio. *Quid sentiendum de Eucharistia?*

Resp. *Duplici signo hoc Sacramentum constare, Pane triticeo scilicet, & Vino ex uvis confecto, quæ utraque conficiunt unum corporis nutrimentum. Consecratur utraque species certa forma verborum, de qua non est nunc dicendum; neque rite altera species posset sine altera consecrari. Sumitur autem ut spirituale Animæ nutrimentum, si cum fide perfecta per Charitatem sumatur. Sumitur ad judicium, ut inquit Paulus ad Corinthios.*

Undecima Interrogatio. *Post Consecrationem est ne sub sensibilibus illis signis substantia Panis, an verum Corpus Christi?*

Resp. *Post Consecrationem non est sub sensibilibus illis signis substantia Panis, seu Vini, sed verum Corpus Christi, & Ejus Sanguis. Quod perspicuum est ex sensu totius Ecclesiæ, & Doctorum omnium. Item ex declaratione facta in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., sed ista omittantur. Verba Christi hoc aperte adstruunt, qui cum dixit;* Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, & Sanguis, qui pro vobis fundetur, *ostendit substantiam eam, quæ digito demonstrari potest, ratione accidentium sensibilium esse Corpus, & Sanguinem Christi, non autem Panem, seu Vinum. Ex Græcis, & Latinis Doctoribus antiquis idem clare percipitur.*

Duodecima Interrogatio. *Sensibilia in Eucharistiæ Sacramento aliud ne significant præter Corpus, & Sanguinem Christi, quæ vere continent?*

Resp. *Utique præter verum Corpus, & Sanguinem Christi, quæ continentur, significant etiam Corpus Christi misticum, Unitatem Sanctæ Ecclesiæ; quod cum a quibusdam Doctoribus quandoque dicatur, sumpserunt nonnulli seditiosi occasionem, ut dicerent,* Hoc Corpus Christi, *Misticum tantum significari hoc Sacramento, non autem Verum contineri.*

Decimatertia Interrogatio. *Post Consecrationem in Eucharistia est ne Christi Divinitas?*

Resp. *Utique. Nam quis dubitare queat, cum ibi sit Corpus Christi vere, quod non sit eo modo, quo extitit? Existit autem in verbo Dei unica persona existente Deo, & Homine; quare nemo, nisi insipiens, diceret ibi non esse Divinitatem & Sanguinem, ceteraque omnia, quæ in Christo sunt. Ex vi tamen Consecrationis tantum Corpus in Pane est, & in Vino Sanguis.*

Decimaquarta Interrogatio. *Remanent ne Corpus Christi, & Sanguis in Eucharistia, donec species illæ remanent?*

Resp. *Quis sanus mente posset de hoc ambigere? Nam vis Consecrationis semper durat donec res consecrata duraverit, & ideo nihil consecratum denuo consecratur; unde Baptisma; Sanctum Chrisma, & Ordinis Sacramentum, quibus consecratio confertur, nunquam iterantur, si sciantur rite tradita esse.*

De-

Decimaquinta Interrogatio. *Adorandus est Christus in Eucharistia existens?*

Resp. *Quis ambiget Regem terrenum, ubicumque fuerit, honorandum esse ut Regem decet? Item quis ambigat, ubicumque Christus Deus, & Homo fuerit, ibi esse adorandum?*

Decimasexta Interrogatio. *Quid sentiendum de Missa? an sit Sacrificium?*

Resp. *Missa, ut omnes antiqui Doctores, & juniores dicunt, est Sacrificium.*

Decimaseptima Interrogatio. *Quonam modo Sacrificium est? Cum multa sint Sacrificiorum genera?*

Resp. *Missa est Sacrificium laudis; est Sacrificium gratiarum actionis; est Sacrificium, quia est memoria unici illius Sacrificii, quo Christus se pro nobis obtulit Patri per Spiritum Sanctum. Est etiam Sacrificium, quia est Oblatio, qua offerimus Christum, ejusque Passionem, ut inquit Augustinus* in X. de Civitate Dei, *& totam Ecclesiam per Christum Deo Omnipotenti, ut Ei inhæreamus per Christum, tamquam Supremo omnium Bono.*

Decimaoctava Interrogatio. *Quemnam fructum percipiunt in Missa ij, qui adsunt, & illi pro quibus fit Oblatio?*

Resp. *Hic animadvertendum Oblationem illam Sacerdotis, & Opus illud non esse novum Sacrificium propitiatorium aliquid addens propitiationis præter propitiationem factam nobis per Christum; sed pie credendum est, ut tota Ecclesia sentit, quod ex Oblatione Sacerdotis illi omnes, qui sunt viva membra Christi; qui Ei inhærent per Fidem, & charitatem, aliquid virtutis spiritualis capiunt ex participatione, seu influxu meriti Passionis Christi; & illi præsertim qui adsunt, & devote intersunt; & illi, pro quibus offertur, si fuerint viva membra Christi, quia omnes offerunt, si fuerint viva membra Christi, quia omnes offerunt Christum, & per se Christum Deo, ut illi inhæreant, per Ministerium, & in Persona Sacerdotis.*

Decimanona Interrogatio. *Quid prodest Missa illis, qui non sunt viva membra Christi?*

Resp. *Ex vi Oblationis expertes sunt fructus omnis, ut dicit Sanctus Thomas; sed credendum est juvari ex Orationibus in Missa dictis a Sacerdote in Persona Ecclesiæ, & impius etiam si fuerit, gratus Deo.*

Vigesima Interrogatio. *Quid prodest Missa Defunctis?*

Resp. *Defunctis, qui ad felicem in Deo vitam devenerunt, quantum pertinet ad Ecclesiam, & Civitatem Christi, & hoc Sacrificium est Universalis Ecclesiæ, ac ideo eorum fit commemoratio, ut dicit Augustinus in* XX. Libro de Civitate Dei; *nihil melius fit ex Missa, scilicet laus, & honor tribuitur; & nos, qui adhuc jactamur mundanis fluctibus, oramus in eorum Consortium admitti, ac interim communicantes cum eis votis nostris, ut Summo Bono inhæreamus, per Fidem ambulamus ad speciem; aliis vero, qui nondum eo felicitatis pervenerunt,*

atta-

attamen dum viverent meruerunt, ut eis prodessent, Sacrificia Missarum, Orationes, & Eleemosynæ prosunt, ut dicit Augustinus de cura agenda pro Mortuis; *frustra namque fierent pro eis Orationes in Missa ab universa Ecclesia tam Græca, quam Latina, nisi profuturæ eis essent. Pium quoque est credere, quoniam sunt membra Christi viva, cum tota Ecclesia fieri participes satisfactionis, & Sacrificii Christi illos præsertim, quorum fit privatum Commemoratio.*

Vigesimaprima Interrogatio. *Est ne in Missa necessaria Communicatio Corporis, & Sanguinis Christi?*

Resp. *Utique. Necessaria est Communicatio per Fidem, & Charitatem, si quibus profutura est Missa, & Sacramentalis, scilicet Sacerdoti tantum, qui gerit Personam totius Ecclesiæ, & præsertim Astantium; quod si qui præsentium communicarent etiam Sacramentaliter laudandi, dummodo non sumant indigne.*

Vigesimasecunda Interrogatio. *Est ne Laicis communicandum sub una tantum specie, vel sub utraque specie?*

Resp. *Cum Sacramentum sit propter rem, quam confert, non autem res propter Sacramentum, idcirco cum sub utraque specie simul, & sub altera seorsum, utravis fuerit species, totus Christus contineatur, ut supra diximus, ac per hujus Sacramenti sumptionem quæramus conjungi Christo, ut spirituali nutrimento; nihil refert sive sub una, sive sub utraque sumatur: sed mos Ecclesiæ suæ servandus est cuique. Græci sumunt a suis Sacerdotibus sub utraque specie; Latini sub una tantum, donec aliter sit statutum. Ob multa namque scandala vitanda Ecclesia Latina hunc morem suscepit; Sacerdos autem pro Populo Calicem sumit.*

Vigesimatertia Interrogatio. *Quid sentiendum de Sacramento Pænitentię secundum Fidem Orthodoxam?*

Resp. *Sacramentum Pænitentiæ, cujus forma, & perfectio est Absolutio Sacerdotis, secunda tabula est, qua Membra Christi mortua resurgunt ad spiritualem vitam; nam per Baptisma generantur, & inseruntur Christo, per Pænitentiam reviviscunt, & resurgunt.*

Vigesimaquarta Interrogatio. *Unde vim habet Sacramentum Pænitentiæ?*

Resp. *A Fide Passionis Christi, ut dicit Beatus Thomas; nam sicuti dicit Apostolus in pluribus locis: Remissio peccatorum, & Reconciliatio cum Deo non fit nisi per Christum, & ejus merita, cui conjungimur per Fidem, ut accipiamus Spiritum, per quem vel nova creatura efficiamur ut in Baptismate; vel resurgamus, & reviviscamus ut in Sacramento Pænitentiæ.*

Vigesimaquinta Interrogatio. *Quę sunt necessaria Pænitenti ad assequendam Absolutionem Sacerdotis, ac per eam ex meritis Christi spiritualem vitam?*

Resp. *Utique necessarium primum est, ut eum veteris vitæ poeniteat, ac*

dein-

deinde ut peccata mortalia, quorum sibi est conscius, confiteatur, discussis diligenter suis actionibus; nam Christus constituit in Absolutione Sacerdotem judicem, non tantum ministrum ut in Baptismate, cum & remittendi, & retinendi peccata Ei auctoritatem dederit, ut in Evangelio legitur; quod judicio quodam faciat oportet: judicare autem nemo potest, quę ignorat; a confitente igitur necesse est, ut ea noverit. Requiritur etiam propositum imitandi Christum, ut scilicet suo modo satisfaciat, qua tamen satisfactio nitatur Christi satisfactione; secus autem nihil esset. Christianus enim Christum imitari debet pro suo modo, ut simul patiatur pro peccatis quibusque suis, pro quibus & Christus passus est, ut cum Christo perveniat ad Resurrectionem ex mortuis, & ad vitam ęternam.

Vigesimasexta Interrogatio. *Cur in Baptismo suscipiendo non imponitur satisfactio; in Absolutione vero Sacerdotis requiritur?*

Resp. *Quoniam ei, qui peccavit, & post peccatum idem remanet, aliqua satisfactio debetur ut Christum imitetur, & aliqua justitiæ species servetur; quod si is, qui peccavit, non remaneat, sed moriatur, ac novus homo generetur, satisfactio locum non habet; sed sicuti ad novam generationem per quam fit membrum Christi, sufficit Christi meritum, ita sufficit satisfactio Christi, nec ab eo ulla requiritur, ut aliquo modo species justitię servetur. Non enim amplius est secundum imputationem homo, qui peccavit, sed novus homo, ac in vivificatione membri Christi mortuus is remanet vivificatus, qui prius fuerat mortificatus, ideo diverso modo meritum, & satisfactio Christi huic, & illi applicatur, quem diversum modum ostendunt diversa Sacramentorum genera; nam si eodem pręciso modo fieret applicatio Christi Passionis Pœnitenti, & Baptizato, eodem utique Sacramento uti in utroque deberemus. Sacramentum est visibile signum invisibilis applicationis, seu infusionis Gratiæ. Ex diversitate ergo signi convincitur diversus infusionis, & applicationis modus. Hanc diversitatem ex diversitate Sacramenti compertam, & perspicuam nonnulli nostris temporibus non intelligentes, putaverunt eodem modo renasci per Pœnitentiam, sicuti per Baptisma renascitur, ex quo ausi sunt improbare sensum Universalis Ecclesię in hoc Articulo, quos monitos velim, ut bene attendant quod diximus. Nam sicuti impium esset iterum Baptisma Pœnitenti conferri, ita erroneum existimare debent eumdem esse in utroque Baptizato scilicet, & Pœnitente applicationis modum.*

Vigesimaseptima Interrogatio. *An Confessio Laico facta, & Absolutio a Laico præstita valeat, & vim habeat Sacramenti?*

Resp. *Quamvis in casu necessitatis Deo sit grata ea Confessionis humilitas, nihilominus Laicus non debet, neque potest absolvere: orare tamen Deum potest, ut Confitentem absolvat: quod si is evaserit periculum, ad Sacerdotem, ut accedat, necesse est, & ab eo Absolutionem*

nem impetret, prius peccata mortalia, quorum sibi conscius est, confessus.

Vigesimaoctava Interrogatio. *An Confessio facta Sacerdoti non proprio valeat, & si is Sacerdos possit absolvere Confitentem? (*)*

Resp. *In casu necessitatis, quæ diversis modis contingere potest, valet, & Confitens est absolutus; secus non valet, neque est absolutus: quoniam cum Sacerdos judex sit in Sacramento Pœnitentiæ, necesse est quod Confitens sit ejus curæ subditus, ut in eum possit Jurisdictionem exercere. Canones idem præcipiunt, & consuetudo Universalis Ecclesiæ semper hoc admisit.*

Vigesimanona Interrogatio. *An Absolutio facta a Sacerdote proprio Peccatore, & Indigno valeat, similiter administratio aliorum Sacramentorum?*

Resp. *Ea, quæ sunt tantum Ordinis facta a Sacerdote quamtumvis indigno, & Peccatore, semper valent, nam virtus, & meritum Christi non inquinatur, & diminuitur a malis Ministris: Ea vero, quæ sunt jurisdictionis, vel jurisdictionem annexam requirunt, item valent, nisi habeat Sacerdos impedimentum Canonicum ut suspensionis, & hujusmodi.*

Trigesima Interrogatio. *An aliqui defuncti in Christo non statim admittantur ad felicem vitam, sed purgentur per ignem a maculis peccatorum, & a pœna reatus, quam sunt meriti?*

Resp. *Ex superius dictis jam comperta esse potest solutio hujus Quæstionis;*

(*) *Nomine proprii Sacerdotis hic intelligunt Cardinales Sacerdotem habentem jurisdictionem in pœnitentem, sive ea jurisdictio ordinaria sit, sive subdelegata ad sensum Cap. VII. Sess. XIV. Concilii Tridentini* -- quoniam igitur natura, & ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmavit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quem Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem -- *Neque vero quempiam movere debet, quod Cardinales ad id significandum usi sint vocibus Sacerdotis* proprii, *seu habentis* curam confitentis. *Is enim loquendi modus usitatus est apud disputatores ejus temporis. Sic Petrus de Soto Ord. Prædicatorum in suo præclaro Tractatu* de Institutione Sacerdotum *loquens de Ministro Confessionis pag. 227. editionis Dilingæ anno MDLVIII. ait* -- Solus Sacerdos jurisdictionem habens, & superioritatem est proprius Minister hujus Sacramenti, & illi soli confessio fieri debet necessario -- *Mox suam explicans sententiam subdit:* duo hic asserimus, quæ simul sunt necessaria Ministro hujus Sacramenti. Primum est Ordo Sacerdotalis, secundum necessarium diximus esse jurisdictionem, hoc est superioritatem, & prælationem, qua secundum distributionem Ecclesiæ subditos habet, quorum animarum curam gerat. *Tandem pag. 229. hanc doctrinam explicans addit:* Sed est in speciali circa eam advertendum, quibus relationibus Sacerdos jurisdictionem habeat, ut aliquem absolvere possit. In communi quidem certum est dupliciter id contingere, scilicet vel ordinaria via, vel delegata. Nam ordinariam quidem jurisdictionem habent proprii Episcopi, & Parrochi, & denique qui Præfecti sunt gubernandæ plebi in spiritualibus. Delegatam vero habent, quibus ab istis committitur vel in generali, vel in speciali.

nis; nam si in Missa sit Oratio ab Ecclesia pro Defunctis; si in Pœnitente aliqua requiritur satisfactio: manifestum est aliquos post obitum detineri, ut per ignem salvi fiant.

Trigesimaprima Interrogatio. *An Sancti statim evolent ad Cœlos, vel omnes expectent Resurrectionem corporum antequam admittantur ad Vitam æternam?*

Resp. *Qui ex hac vita decedunt soluti a vinculis peccati, & abluti in Sanguine Christi a peccatorum maculis, nullique reatus pœnæ obnoxii, confestim ad Beatitudinem perveniunt animo, & Spiritu donec Sanctorum, & Electorum numero completo cum corporibus immortalibus, integra facta natura, perfecta omnino Beatitudine perfruantur. Hic est Ecclesiæ sensus; ex Evangelio dixit Christus Latroni:* hodie mecum eris in Paradiso. *Item Paulus:* nunc donec sumus in corpore peregrinamur a Domino. Melius multo est peregrinari a corpore, & esse cum Domino. *Item:* cupio dissolvi, & esse cum Christo. *Item:* scimus enim, quod si terrestris nostra domus hujus tabernaculi destruatur, ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam æternam in Cœlis.

Trigesimasecunda Interrogatio. *Quid sentiendum de Extrema Unctione?*

Resp. *Extrema Unctio Signum visibile est, cujus Materia est Oleum in hunc usum consecratum sub præscripta forma verborum in Orationis modum ad tollendas peccati reliquias, seu etiam ad abolenda peccata venialia, ut quidam Theologi dicunt. Jacobus in Epistola sua hujus Sacramenti mentionem facit. Valet item ad tollendas Ægritudines Corporis, si ita ad salutem ægroti expediens fuerit. Utriusque commodi Jacobus meminit.*

Trigesimatertia Interrogatio. *Quid sentiendum de Sacramento Ordinis, cum ex Dictis Petri Apostoli, & Joannis in Apocalypsi omnes Christiani videantur esse Sacerdotes?*

Resp. *Omnes Christiani per Baptisma Consecrationem, & Characterem consequuntur, qui est Character Sacerdotii Christi, unde efficiuntur participes illius Sacerdotii, ut scilicet offerant spirituales hostias Deo per Jesum Christum. Hoc Sacerdotium non pertinet ad Sacramentum Ordinis, de quo agimus; nam Ordo, de quo tractamus, est spiritualis Potestas, & spirituale Officium, seu signaculum, & Consecratio, qua traditur privata alta quadam Potestas Ordinatis & super Corpus Christi verum, & super Corpus misticum, scilicet Sacerdoti, consecrandi Corpus Christi, & absolvendi subditum sibi Gregem a peccatis in Sacramento Pœnitentiæ. Sed de Sacris Ordinibus tam majoribus, quam minoribus tractare non est præsentis negotii.*

Trigesimaquarta Interrogatio. *Quid sentit Ecclesia Catholica de Matrimonio?*

Resp. *Sensus Ecclesiæ est de Matrimonio non tantum legitimo, quod in Infidelibus esse potest in naturæ Officium; sed de perfecto, quod est in Chri-*

stianis hominibus, Matrimonium esse Sacramentum, quia est visibile signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, ut dicit Apostolus in Epistola ad Ephesios. Nec obstat quod quidam scioli dicunt, Apostolum scilicet dixisse esse magnum Sacramentum, dico autem in Christo, & in Ecclesia; *nam Græce Apostolus scripsit Misterium, arcanum innuens sub hoc visibili Matrimonio, tamquam sub signo sensibili arcanum illud contineri. Multa discutiuntur a Theologis circa hoc Sacramentum, quę non pertinent ad pręsens Negotium.*

Post Sacramenta, & Fidem, quibus vivimus in Christo tamquam Membra unius corporis, cujus Christus est Caput, restat, ut quadam discutiamus instituto modo quæ pertinent ad Corpus hoc misticum, quo ad ipsius vitę cultum, & gubernationem. Partes unius Ecclesiæ sunt Defuncti in Christo, & qui in hac vita peregrinantur, sive grana, sive paleæ sint; nam, ut inquit Augustinus in Libro de unitate Ecclesiæ: *omnes Christiani baptizati sunt in eisdem Sacramentis Ecclesiæ, Christo per Baptisma consecrati.*

Trigesimaquinta Interrogatio. *Quid sentiendum de ratione vivendi, & cultus Ecclesiæ? An scilicet unusquisque Christianus sit liber a Cęremoniis, & aliis humanis Legibus, & Ritibus, sicuti Paulus videtur dicere:* in libertate, *inquit*, qua Christus nos donavit, state?

Resp. *Christus Christianos omnes liberavit a Cęremoniis, & judicialibus Præceptis Legis Mosaicę, quia soluto statu ejus Populi, abrogatæ etiam sunt Leges, quibus is Populus continebatur, & quæ illi Populo tantum datę erant. Item Cæremoniæ, quibus Christus venturus significabatur, abolitę sunt post Christi Resurrectionem. Christianis etiam data est libertas in hujusmodi Cæremoniis, Ritibus, & Legibus, quia nihil nobis præscriptum fuit a Christo præter Sacramenta; non tamen accipere debemus datam esse Christiano Populo libertatem, ut nullo ordine, nullo Ritu, nulla Cęremonia in communi utamur, scilicet ut vivamus more Cyclopum, ut Homerus; ut scilicet pro arbitrio quisque sibi Cęremonias constituat, & rationem vivendi pro arbitrio sequatur: nam hæc vitę ratio potius pertinent ad Babylonem, quam ad Ecclesiam Christi, quæ est ejus Corpus distinctum, & compaginatum per membra in unitate Spiritus. Hæc ergo a Christo data nobis libertas (pręter libertatem a servitute Peccati) ita est accipienda, quod Christus nihil pręscripsit, neque quoad vitam civilem terrenam in judicialibus Præceptis, neque quo ad vitam politicam Christianam, scilicet reliquit hęc ut minora, & quę pro ratione locorum, & temporum sæpe mutari possint, & debeant arbitrio Principum, & Episcoporum. Nam cum humana vita sine his duci non possit, neque servari unitas queat, nisi in communi serventur, utique seditiosi hominis, & parum sani esset velle Christianam Ecclesiam facere Babylonem, & Cyclopum*

Eccle-

Ecclesiam. Principibus vero in Legibus, quas statuunt, parere debemus dummodo non discrepent a Lege divina, & naturali. Scriptum est: Obedite Regibus, & Principibus: *Episcopis in Legibus, & Ritibus pertinentibus ad Christianam Politicam; nam itidem scriptum est:* Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem reddituri. *Servandi sunt ergo viro Christiano Ritus, Caremoniæ, & Observantiæ a Majoribus nostris instituta, & universali Ecclesia receptæ; quoniam quædam, ut inquit Augustinus* ad Januarium, *sunt receptæ ab universali Ecclesia, neque memoria superest earum Institutionis, quæ credendæ sunt fuisse instituta ab Apostolis; quædam vero privatæ Episcopatus alicujus, quæ in eo sunt servandæ, & qui eas non servat, peccat contra justitiam, ad quam pertinet Obedientia præstanda Præpositis nostris; & contra charitatem, utpote quod quantum in se est, scindit Ecclesiæ unitatem, quemadmodum in vita civili Civis peccaret, si vellet immutare rationem vivendi jam a Civitate receptam, & institutam. E contra si obedit humiliter ex corde, christiane, & ex charitate operatur, & vivit, cujus vitæ merces copiosa est in Cœlis; neque tamen propterca dicimus hos cultus esse, quibus mereamur Remissionem Peccatorum, quæ solum est nobis per Christum, in quo habemus Redemptionem, & Remissionem Peccatorum, ut inquit Apostolus, & est clare expositum a Beato Thoma.*

Trigesimasexta Interrogatio. *Ecclesiæ universalis est ne aliquod Caput, a quo dirigatur in vita Christiana?*

Resp. *Utique. Nam & Caput est Christus, a quo infunditur sensus & motus, & vita spiritualis cuique Christiano, qui vivit in Christo, & interius eam dirigit, & sanctificat: item inferiori ratione, & modo Caput Ecclesiæ est Vicarius Christi, Petri Successor P. P. Romanus, qui non interius infundit vitam, sed exterius Eam regit, & gubernat; nam impossibile est, multitudinem in unum convenire, & contineri nisi ab uno. Ecclesiam vero Christianam maxime unam oportet esse, utpote quæ non Civitas una, sed unum Corpus dicta sit in Sacris Litteris, idcirco ab uno Capite contineri debet. Sunt hujus rei expressa testimonia in Evangelio; & evidentissima Sententia D. D. omnium antiquorum, & modernorum post Pontificem Romanum sunt Civitatum Episcopi; post hos alii Curati Sacerdotes, de quibus non est instituti negotii singillatim agere.*

Trigesimaseptima Interrogatio. *An in Ecclesia Christiana, quæ in sui gubernatione gradibus quibusdam distincta est Laicorum scilicet, & Clericorum, & in Clericis Sacerdotali, Episcopali, & Pontificali Ordine, sit admittendus Religiosorum Status, & qualis sit, & quæ sint vota supererogationis Dei?*

Resp. *Civitas Christiana, scilicet Ecclesia nullo perfectionis statu inferior*

esse debet Civitate terrena, in qua, ut Philosophi produnt, duplex est hominum vita, eorum scilicet, qui versantur in actionibus, & negotiis civilibus, & eorum, qui se emanciparunt speculationi. Ita decet in Ecclesia Dei, esse statum quorumdam, qui (contemptis omnibus actionibus) intendant in perfectionem charitatis Christianæ, & sint, veluti, perfecti viatores, qui abjectis omnibus impedimentis contendunt omnibus viribus, ut magis, ac magis accedant ad destinatum sibi locum; sic hi contendant ad Perfectionem Charitatis, abjectis impedimentis vitæ civilis, quæ consueverunt cursum hujusmodi tardiorem efficere; ideo re ipsa compertum omnibus esse potest, fuisse semper in Ecclesia Dei horum hominum Statum. Legat Christianorum Historias, qui hoc non credit nobis: pleni sunt Libri. In Ægypti solitudine adhuc extant vestigia Monasteriorum celeberrimorum: Vitæ Antonii, Hylarii, Pauli, & aliorum litteris mandatæ sanctissimorum, & doctissimorum hominum opera. Dionysius antiquissimus Auctor meminit hujus Ordinis Monastici; Basilius vivendi normam suis Monacis conscripsit, qui adhuc frequentissimi in Græcia florent. De Votis Monasticis in suis Asciticis meminit Benedictus apud Latinos celeberrimus, & antiquissimus Monasticæ vitæ Auctor. Horum status exercitium est, a quo etiam apud Græcos dicuntur Ascitæ, idest Exercitatores; & Beatus Thomas in Secunda secundæ *dicit frequentissime: religiones Monachorum esse Exercitia tendentium ad perfectionem Charitatis: neque Opera Supererogationis ob id dicuntur, quod superent Præcepta Charitatis, sed quoniam in Exercitiis, quibus ad Charitatis perfectionem tenditur, plus erogent, quam communis hominum Christianorum vita, qui tantum exercitantur, quantum est necessarium, & sine quo vita Christiana consistere non posset. Neque audiendi sunt seditiosi quidam, qui impingunt Ecclesiam, quod sentiamus per hujusmodi exercitia nos consequi vitam æternam, & non per Christum, & quod ponimus Opera, quæ excedunt præcepta Charitatis. Minime omnia dicuntur nisi ab imperitis, minora sunt Consilia de Religione tradita, quam præcepta Charitatis, immo illis deserviunt; minora, inquam, immo nec conferenda cum gratia, & spiritu, quem habemus per Christum, sed illi inserviunt, ut scilicet amoveantur ea, quibus solemus amoveri a via Christi, vel saltem retardari, & in eis versari, quibus magis proficiamus in Gratia Christi. Hæc est Sententia Ecclesiæ, & doctorum hominum, non superior illa, quam nobis volunt impingere. Omitto Consilia data in Evangelio & a Paulo de hac vita, & de hoc statu perfectiori, quia sunt vulgata.*

Trigesimaoctava Interrogatio. *Quid sentiendum de Cultu, & Invocatione, qua Ecclesia utitur, idest cum dicimus:* Sancte Petre ora pro nobis?

Resp. *Sancti sunt viventia, & nobilissima membra Christi, quos Christus adeo voluit exaltare, ut in Evangelio dicat:* in fine Sæculi i-

psos

ipsos quoque Mundum judicaturos esse, sedentes super Sedes; *ideo nulli dubium esse debet, quod Institutum Ecclesię sanctissimum sit in veneratione Sanctorum, ut pro nobis orent. Neque timendum, ne non audiant nos, ut sapientes quidam nostra hac tempestate dicunt, eo quod non sint ubique Sancti; etenim dicimus Sanctos in Deo videre nos, & ea, quæ hic geruntur, ea in quantum quod Deus vult illis revelare. Angeli superiores nam hominibus vi naturę hoc assequuntur; homines Beati ex divina tantum revelatione. De Angelis in* Apocalypsi, in Tobia, in Actis Apostolorum, *& frequentissime in Sacris Litteris sunt testimonia. De Animabus sanctis expresse in Apocalypsi est textus de viginti quatuor Senioribus præcipuis, scilicet Sanctis hominibus, ut ibidem patet, qui Odoramenta Deo offerebant, quæ sunt Orationes Sanctorum, idest justorum, qui omnes solent ab Apostolo appellari Sancti, quia sanctificati sunt in Christo. Indoctorum ergo est, & seditiosorum velle hoc in controversiam ponere.*

Trigesimanona Interrogatio. *Quid sentiendum de Imaginibus, & Picturis Sanctorum?*

Resp. *In septima Synodo sub Constantino, & Hyrene decretum fuit Imagines, tamquam Libros Idiotarum, & ut aspectu Doctos moveant, & excitent ad venerationem, & imitationem optimorum hominum, in Ecclesia admittendas, & venerandas esse; non quidem ut eis veneratio deferatur, sed Sanctis per eas. Quamobrem non probandum censemus illorum usum in Picturis, & Imaginibus Sanctorum, ut Artificis peritia ostendatur; & delectatio vel vana, vel turpis ex earum aspectu videntibus offeratur; nullam habent rationem Institutionis Ecclesiæ in Imaginibus admittendis, immo ea abutuntur in lasciviam, vel inanem oblectationem.*

Quadragesima Interrogatio. *Quęnam veneratio adhibenda est Sanctis?*

Resp. *Non ea, qua Deum veneramur tamquam primum Principium omnium, & supremum Bonum, quo inhæreamus, & cujus participatione felices simus, quæ* Latria *dicitur; nec veneratio, quę debetur Christo, qui solus vere mediator est Dei, & Hominum; sed inferior quædam, quæ Amicis Dei, & membris Christi conveniat, in quorum veneratione pium, & Christianum est illud servare, ut semper in eis venerandis recordemur Christi, cujus sunt membra; & Dei, cujus sunt Amici, & filii; nam si propterea Eis honorem deferimus, quia sunt membra Christi, & amici Dei, nimirum rationi consentaneum est, ut in Eis venerandis, non obliviscamur Dei, & Christi Domini Nostri.*

Quadragesimaprima, & ultima Interrogatio. *Quid sentiendum de Orationibus, quę fiunt a viris idiotis, qui eas non intelligunt?*

Resp. *Sentiendum valere ex affectu animi, & intentione, qua intendunt Deum orare, & Sanctos, licet non intelligant quod petant; carent tamen*

tamen eo fructu , quem perciperent , si Orationes eas , quas ore proferunt , etiam intelligerent ; nam & speciatim intenderent animum , & mentem in Deum , ut ab Eo impetrent etiam speciatim ea , quæ ore petunt , & magis ędificarentur ex sensu pio earum. Orationum , quas ore proferunt . Carent ergo hoc fructu , non tamen frustra orant. Nam , ut inquit Apostolus Paulus: Spiritus orat pro nobis gemitibus inennarabilibus, *quatenus dirigit Orationes nostras ad Deum , & animum nostrum sursum erigit . Item* ad Corinthios : Spiritus orat ; *subdit postea ,* mens autem fructu vacat, *eo scilicet , quem caperet , ut supra diximus , si intelligeret is , qui orat , ea quę dicit . Idcirco hortandi sunt Idiotę , ut orent , etiam si non intelligant ; melius tamen orarent si discerent , & scirent sensum Orationum , quibus frequenter utuntur , ut Orationis Dominicæ , & Salutationis Angelicæ , quæ in ore omnium solent esse ; nam & spiritu orarent , & eorum mens non careret eo fructu , de quo supra diximus.*

Laus Deo.

Ego Jacobus , Tituli Sancti Callisti S. R. E. Presbiter Cardinalis Sadoletus hos omnes Articulos , tamquam Catholicos , approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. C. , & R. Ecclesiæ.

Ego Joannes S. R. E. Presbiter Cardinalis Moronus hos omnes Articulos , tamquam Catholicos , approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his , & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ , & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Gregorius S. R. E. Presbiter Cardinalis Cortesius hos omnes Articulos , tamquam Catholicos , approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ , & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Joannes Dominicus Sigibaldus , Episcopatus Mutinæ Vicarius hos omnes Articulos , tamquam Catholicos , approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his , & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ , & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Cassiodorus , Abbas Monasterii S. Petri de Mutina , hos omnes Articulos , tamquam Catholicos , approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his , & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ , & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Franciscus Græcus hos omnes Articulos , tamquam Catholicos approbo , & approbandos censeo , subjiciens me tamen semper & in his , & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ , & Rom. Ecclesiæ.

Ego Andreas Civolinus Archipresbiter Cathedralis Mutinæ hos omnes Articulos , tamquam Catholicos approbo , & approbandos censeo , sub-

ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Bonifacius Valentinus Præpoſitus Cathedralis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Laurentius Burgomotius Canonicus Cathedralis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Theophius Furnus Canonicus Cathedralis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Andreas Caputbovus Canonicus Cathedralis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Peregrinus Herrus hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Eccleſiæ.

Ego Gabriel Fallopius hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Eccleſiæ.

Ego Joannes Caſtrovitreus Juris utriuſque Doctor, nec non Eques, & Comes ad præſens Prior Magnificorum Dominorum Conſervatorum Reipublicæ Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Eccleſiæ.

Ego Lodovicus Eques a Furno, nunc Caput Bancæ Magnificæ Communitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Ego Joannes Baptiſta Taſſonus Juris utriuſque Doctor, & ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, et approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Bartolomeus Mareſcottus Juris utriuſque Doctor, & Sindicus Generalis Magnificæ Communitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Hieronymus Manzolus civis, ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Angelinus Zocchus Civis, & ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Bartholomæus Fontana Civis, & ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Antonius Grillenzonus Civis, & ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Rom. Eccleſiæ.

Ego Petrus Baranzonus Civis, & ex numero Conſervatorum Civitatis Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Joannes Nicolaus Flordebelus Civis, & Campſor Mutinæ hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Gaſpar Rangonus Mutinenſis hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Cath., & R. Eccleſiæ.

Ego Franciſcus Bellencinus Notarius Mutinenſis hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Alfonſus Sadoletus Doctor, & Eques minimus, ac Comes hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Lodovicus Caſtrovitreus hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ.

Ego Joannes Politianus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Eccleſiæ.

Ego Hieronymus Taggeteus hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos cenſeo, ſubjiciens me tamen ſemper & in

his,

his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Augustinus Bellencinus Juris utriusque Doctor, & Comes hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Franciscus Bellencinus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Elias Carandinus Juris utriusque Doctor hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Philippus Valentinus Juris utriusque Doctor hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Bartholomæus Grillenzonus Juris utriusque Doctor Mutinensis hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Frater Seraphinus de Martinengo Ordinis Prædicatorum, Prior Conventus Sancti Dominici de Mutina hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. C., & R. Ecclesiæ.

Ego Frater Augustinus de Castroguisfredo Ordinis Prædicatorum, Subprior Conventus Sancti Dominici de Mutina, & Vicarius Reverendi Domini Inquisitoris, hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Ecclesiæ.

Ego Frater Michael de Mutina Ordinis Prædicatorum, Lector Conventus Sancti Dominici de Mutina hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Frater Albertus Carpensis Ordinis Prædicatorum, & Prædicator hos omnes Articulos, tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Frater Augustinus de Mutina Ordinis Servorum hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ, Ecclesiæ.

Ego Gulielmus Spinellus Artium, & Medicinæ Doctor, & Almi Collegii Medicorum Inclitæ Civitatis Mutinæ Prior electus, hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Ego Alexander Fontanus Physicus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Cath., & Rom. Ecclesiæ.

Ego Pius Tassonus Medicus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Ecclesiæ.

Ego Nicolaus Macchellus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Ecclesiæ.

Ego Joannes Grillenzonus hos omnes Articulos tamquam Catholicos approbo, & approbandos censeo, subjiciens me tamen semper & in his, & ceteris omnibus judicio S. Catholicæ, & Rom. Ecclesiæ.

V.

Ex autographo in Archivo DD. de Cortesiis.

Paulus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto Filio Gregorio tituli Sancti Ciriaci in Thermis Presbitero Cardinali salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Decet Romanum Pontificem, quem Pastor ille Cælestis universis Orbis Ecclesiis prætulit, ut Fratres suos, quos ad Cardinalatus honorem, ut una secum universalis Ecclesiæ onera sortiantur, assumpsit, Ecclesiarum titulis decorare, & eorum Personas condignis honoribus sublimare. Nuper siquidem Te, quem Altissimus magnis Gratiarum muneribus, & Providentiæ donis multipliciter illustravit, ex certa nostra scientia, ac de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ Sedis plenitudine inter nonnullos alios in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumptos, in ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem ad Cardinalatus honorem Apostolica auctoritate duximus assumendum. Cupientes igitur Te ut, prout juris dictat ratio, peramplius honorare, Tibi de similibus consilio, & potestatis plenitudine, ac auctoritate, & scientia prædictis, Titulum Ecclesiæ Sancti Ciriaci in Thermis de Urbe concedimus, & assignamus, Teque eidem Ecclesiæ Sancti Ciriaci in Cardinalem præficimus, curam, & administrationem illius Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod gratia Tibi assistente divina, Ecclesia Sancti Ciriaci hujusmodi per tuæ Circumspectionis industriam multiplicia suscipiet incrementa. Sic igitur de bo-

no in melius virtutum studiis intendas, ut merito ipsa Romana Ecclesia tale membrum sibi gaudeat invenire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, die decimo septimo Kal. Novembris; Pontificatus nostri Anno octavo.

L. de Torres.

Visa. D. Ferrarius.

Foris R.^ta *in Secretaria Apostolica.*

VI.

Dal Libro Quarto della nuova scelta di Lettere di diversi nobilissimi Uomini, ed eccellentissimi Ingegni di M. Bernardino Pino. In Venezia M.D.LXXXII. in 8. pag. 128.

A M. Paolo Manuzio.

(V. 16.) *Linigeri:* Sacerdotes, qui lineis vestibus induebantur. Ovid. *de Art. Aman.* lib. primo pag. 399. v. 7.

Nec fuge linigera Memphitica templa juvenca.

Idem *Metam.* lib. 1. pag. 42. v. 14.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Quo loco intelliguntur Sacerdotes Isidis.

Flamines; qui unius tantum Dei Sacra curabant, ut Jovis, Mercurii, Isidis. Nam, ut patet ex Cic. lib. *de legibus* aliis Divis alii Sacerdotes erant, omnibus Pontifices, singulis Flamines. Sumebant autem Flamines nomen ab illo Deo, cujus Sacra curabant, ut Flamen Dialis a Jove, Martialis a Marte, Quirinalis a Quirino &c. Ovid. *Fast.* lib. 2. pag. 466. v. 3.

Pontifices ab Rege petunt, & Flamine lanas.

(V. 17.) *Senta* adjectivum nomen; loca autem senta illa sunt, quae nullus Solis radius pervadere potest: hic frigida significat. Ovid. *Metam.* lib. 4. pag. 147. v. 1..

Pallor, hyemsque tenent late loca senta.

Virgil. libro sexto *Æneid.* v. 462.

Per loca senta situ cogunt.

Corycidos; Genitivus graecus. Nymphae fuerunt antri Corycii, quod juxta Parnassum Apollini, Baccho, & Musis Sacrum Montem fuit. Ovid. *Metam.* lib. 1. pag. 21. v. 7.

Corycidas Musas, & Numina montis adorant.

Pocula: continens pro re quam continet; metonymia, tropus usitatissimus, quo non modo Poetae, sed Scriptores omnes utuntur, unde hic *pocula senta* ponuntur pro aqua frigida antri Corycii. Horat. *Carm.* lib. 1. Ode 27. *Natis in usum laetitiae scyphis* = *pugnare Thracum est.*

(V. 18.) Cum hactenus Poeta figurate, ut ita dicam, laudaverit Paulum, deinceps aperte ad ejusdem descendit laudes & dicit: dum haec, quae modo narravimus in Parnasso agebantur, Paulus in suo Cortesiano Oppido, non solum, ut superius vidimus, Musis, & severioribus vacabat studiis, sed moribus etiam informandis totus erat; & Operi illi alludit Auctor, cui haec Ode praeficitur, quod eum medulla sit, ut ita loquar, clarissimorum Sanctorum Patrum, ex hoc quid nobis vitandum, amplectendumve sit ad beate vivendum, probe dignoscimus.

Paulus Cortesius; ille est in laudem cujus haec Ode a Poeta fuit elaborata, cujus opera, nomenque tempus numquam poterit abolere. Hunc Paulum Geminianenses sibi suum civem vindicant; sed ex Mutinensi Cortesiorum Gente fuisse, non unum est argumentum. Primum Familia Mutinensis clarissimis ostendit tabulis, & non interrupta consanguineorum serie, e numero Suorum fuisse; & insuper cur, & quando in S. Geminiani Oppidum demigravit. Deinde clarius ostendit libri titulus in Cortesiana villa typis excussi anno 1510. in quo legitur = *Cortesius Paulus Mutinensis de Cardinalatu* libri tres, cum Annotationibus Lactantii Fratris. Omnem dubitationem videtur tollere Christophorus Longolius, qui in Epistola Graece scripta ad Authorem hujus Odes, eum laudat non solum Graecae, & Latinae linguae scientia, sed imitatione etiam Pauli *Consanguinei sui*, quem in omnibus aemulari cordi erat. Tandem rem, ni fallimur, evincunt penitus quae Paulus ipse ait libro 3. Operis de *Cardinalatu* prope finem ejus capitis quod inscribitur *de Protectione Religiosorum per Cardinales*. Ejus verba haec sunt.. *ut si modo affirmetur Ignatium Lupum, & Gregorium Cortesium gentilem meum, homines ingenio & doctrina praestantes.*

Artifex. Auctor, seu moderator. Ovid. *de Arte aman.* lib. 1. pag. 391. v. 7.

Me Venus artificem tenero praefecit amori.

(V. 19.) *Recti*. Nomen substantivum, & significat doctrinam, seu regulam morum. Ovid. lib. 1. *Metam.* pag. 8. ver. 3.

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo

Sponte sua sine lege Fidem, rectumque colebat.

O. Exultantis interjectio est: Teren. Andr. 11.

O sa-

O factum bene, beasti me.

Horridum: non horrificum, & terrorem inducens significat, sed incultum, rude, ignarum &c. Cicero *de claris Oratoribus* = *horrida Oratio*; & cap. 17. *antiquus sermo, & horridiora verba*. Et Ovidius *Amor.* lib. 2. Eleg. 6. ver. 5.

Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis.

(V. 20.) *Transfuga*; non solum dicuntur, qui ad hostes transeunt, sed etiam quicumque vetera instituta relinquunt; unde Horat. *Carm.* lib. 3. Ode 16.

Transfuga, divitum = *Partes linquere gestio.*

(V. 21.) Postquàm Poeta Paulum laudaverit ob sua præclara merita, subdit: *Pontifex quid tibi honoris adjunxit?* Forte, inquit, ob hæc superbiet: at si a se superbiam arcet, &, ut est, humilis, & procul vitiis perseverat, Nos ex Gente Cortesia in nostrorum numero resumimus. Vel, ut aliis melius placet: Si Paulus honores sibi à Pontifice oblatos respuit, nos ex Gente Cortesia illos sumimus; nam tunc temporis tres ex hac Familia Romæ maximo erant in honore; Lanfrancus Cortesius, & Jacobus, & Joannes Andreas hujus Odæ author; ambo ex Fratre nepotes; qui omnes & non paucis Cardinalibus, & ipsis Romanis Pontificibus fuerunt acceptissimi.

Pontifex. Romanus Antistes, qui Paulum Cortesium ob sua in Apostolicam Sedem merita, honoribus, de quibus supra memoratum est, decoravit.

(V. 22.) *Adjunxit?* addidit, vel quod incrementum dedit. Ovid. ex *Pont.* libro 3. Eleg. 2. pag. 287. ver. 9.

Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum.

Et *Fast.* libro 6. pag. 686. ver. 17.

Dicite Pierides quis vos adjunxerit isti.

(V. 23.) *Sumet*; idest arrogabit sibi. Cicero pro *Planco*. *Quamquam non cantum mihi sumo, judices, neque arrogo*. Et secundo *de Orat.* capite 12. *Duo illa mihi pro meo jure sumo.*

Renuit; recusat, superbiam a se removet, Ovid. *Amor.* lib. 2. pag. 319. ver. 5.

Quid renuit, fingisque novos ingrata timores?

Et *Heroid.* Epist. 17. pag. 183.

Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.

Mitis. humilis, urbanus. Ovid. *Amor.* lib. 1. pag. 252. ver. 12.

Mite nec in rigido pectore pone caput.

Et Cicer. *ad Atticum* lib. 2. *Nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quam tum meus frater erat in sororem tuam.*

Integer. Purus, & absque vitiis. Horat. *Carm.* lib. 1. Od. 22.

Integer vitæ, scelerisque purus.

Et Cic. *in Ver.* 6. *Non loquor de integris; innocentibus, religiosis.*

(V. 24.) Familia Cortesia Mutinensis; quæ erat Pauli consanguinea.

Resumimus. Iterum accepimus; vel non negamus esse ex progenie Cortesia. Plin. *lib.* 2. *Epist.* 18. *Et illam dulcissimam ætatem quasi resumo*. Et Ovid. *Metam.* lib. 9. pag. 342. ver. 13.

Inque vicem sumptos ponit, positosque resumit.

AD II.

SApphicum hoc transmittit Gregorius noster Helisæo cuidam monaro cum epistola, quæ in veteri editione habetur pag. 152., in nostra vero Num. VII. De Lerinensi Insula, cujus laudes hic celebrat, vide quæ habentur in annotatione num. 9. subjecta eidem epistolæ VII.

(V. 3.) De quingentis kisce martiribus vid. eamdem annotat. num. 9.

(V. 9.) Honoratus in lucem venit ex perillustri familia, ex qua jampridem Romani Consules, aliique celebres viri prodiere. Compertum est in Gallia ortum habuisse, ignotum tamen ex qua provincia. Patrem habuit Ethnirum, sed Honoratus Christianæ Religioni nomen dedit, atque baptismate ablutus sæculo renuntiare proposuit una cum fratre Venantio. Bonis in pauperes erogatis, instituendos se se tradiderunt S. Caprasio solitudinis incolæ in Insulis Massiliensibus; hinc in Arhajam transmigrarunt, ibique idem vitæ propositum secuti sunt. Venantio Metone defuncto, Honoratus in Galliam Narbonnensem rediit, & Leontii Foro-juliensis Episcopi virtute illectus, incolendam selegit Insulam Lerinensem, quæ tum Episcopi ejusdem Foro-juliensis jurisdictioni suberat. Expulit inde angues, quibus Insula divexabatur, atque anno circiter 410. Cœnobium erexit, ad quod ex omnibus terræ partibus cito quamplurimi convenerunt. Patroclo Arelatensi Episcopo anno 426. vita functo suffecerunt Arelatenses Honoratum, quem die 16. Januarii anni 429. obiisse communis fert opinio. Non eadem tamen omnibus opinio est quoad tempus, quo Honoratus venit in Insulam Lerinensem. Placet nonnullis id accidisse anno 375., nonnullis anno 391., aliis probabilius initio sæculi IV. S. Hilarius Arelatensis ejusdem vitam descripsit.

(V. 13.) Fortasse Amandus, de quo hic auctor, ille est qui sæculo V. fuit Episcopus Burdigalensis, ad quem complures extant epistolæ S. Paulini Nolani Episcopi, qui eo præceptore usus fuerat.

(V. 17.) Maximus Lerinensis monacus post Honoratum fuit Abbas Monasterii ejusdem Lerinensis anno 426, exinde Episcopus Rejensis anno 433. Concilio Arelatensi interfuit, sicut & aliis compluribus vicinarum regionum. Anno 439. subscripsit Concilio Rejensi, anno 441. adfuit Arausicano. Anno 439. Romam venit impetraturus confirmationem privilegiorum, quibus Arelatensis Ecclesia gaudebat. Concilio quoque III. Arelatensi interfuit anno 455. Tandem anno 460., vel 462. die 27 Nov. occubuit, eique in Episcopali Cathedra successit Faustus. Miraculis claruit ante, & post obitum. Multas conscripsit homilias, quæ prodierunt nomine Eusebii Emisseni, Ambrosii, Eucherii.

(V. 19.) Cæsarius sub S. Porcarii Lerinensis Abbatis disciplinâ institutus, Arelatem veniens, ut ex infirmitate quadam convalesceret, ibidem Sacerdotio initiatus est ab Eonio Episcopo Arelatensi, cui successit anno circiter 502. Anno 506. Concilio Agdensi, 527. Carpentoractensi, 529. Vasionensi, & II. Arausicano præfuit; præfuit quoque alteri, in quo Contumeliosus Episcopus Rejensis in judicium adductus, dignitate spoliatus est. Romam venit, ut inviseret Summarum Summum Pontificem, a quo pallium recepit. Die 27. Aug. 544. diem clausit extremum. Supersunt ejusdem Opera complura, atque complures homiliæ quæ impressæ habentur in Bibliotheca Patrum.

(V. 23.) Hilarius Gallus S. Honorati in Lerinensi Monasterio discipulus, Honorato eodem defuncto, compulsus est e solitudine exire, ut ejus Episcopalem Cathedram ascenderet. Anno 439. Concilio Rejensi præfuit, Arausicano I. anno 441. & alteri anno 443. Nonnullas ob contentiones inter Ecclesiam Arelatensem, atque Viennensem Romam profectus ad Leonem I. Summum Pontificem, apud eum ostendit, eo quod

acer-

acerrime tueretur jura, quæ sibi afferebat. Itaque cum nihil profecisset, ad propria reversus totum se dedit corporis afflictationibus, & studio pietatis, omniumque Christianarum virtutum, S. Leo, qui Hilarium viventem maxima molestia affecerat, mortuum collaudavit, atque eximiæ ejusdem virtuti præclarum testimonium dedit. Cum multa pie, & erudite scripsisset, obiit die 5. Maii 449.

AD III.

HÆliseo Monaco, ad quem transmiserat superius Sapphicum, hoc quoque transmittit Auctor una cum epistola, quæ in hac nostra editione habetur Numero VIII. olim pag. 161. De Augustino Grimaldo Grassensi Pontifice, cui S. Honorati opem implorans, faustum e Hierosolyma reditum precatur, vide annot. 9. 10. in epistolis latinis.

AD IV.


HIeronymo Monserratensi Abbati inscribitur hoc Carmen de laudibus S. Honorati, quod Auctor noster eidem dat cum epistola, quæ in vetori edit. habetur pag. 155, in nostra vero Numero XVI. De Hieronymo Monserratensi vide annotat. 12. ad Epistolam XI. De S. Honorato quæ supra diximus ad Carmen II.

AD V.

CArmen hoc cecinisse hunc nostrum anno 1524. vide ex annotat. 34. ad Epistolam XCV. Epistola hæc in veteri editione habetur pag. 149., & inscribitur Dionysio monaco, nempe Faucherio, Auctoris nostri amicissimo, de quo vide annotat. 14. ad Epistolam XLI. Hoc idem carmen habetur etiam inter Opera poetica Prosperi Martinengii Monachi Cassinensis.

(V. 10.) Minus quidem usitatus est titulus *Nurus*, & *Socrus*, quem hic Auctor tribuit Mariæ Virgini, novus tamen non est, nec ab ipso primum excogitatus. Eum in Libro de laudibus Virginitatis Cap. XXI. adhibuit Aldhelmus Episcopus

Schirburnensis Sæculo VII., vir teste Beda Lib. V, Cap. XIX., *undecumque doctissimus, nam & sermone nitidus, & Scripturarum tam liberalium, quam Ecclesiasticarum eruditione mirandus*, Prosequens enim laudes B.M. Virginis ait inter cætera = *B.M. Virgo perpetua, aurora Solis*, nurus *Patris, genetrix, & germana Filii, Sanctarum* socrus *Animarum* = Theophilus Raynaudus Tom. VII. Oper. editionis Lugduni MDCLXV. pag. 428. hos titulos ita explicat; ut Maria Virgo dicatur *nurus Patris Æterni* quatenus est Christi Filii Sponsa, quia sponsa quoque venit nomine *nurus* Leg. VI. &c. *ff.* de grad. Conf.: appellatur autem *Socrus* Sanctarum Animarum, earum scilicet, quæ in sententia Aldhelmi sanctæ sunt corpore, & spiritu, idest virgines, quarum decus præcipuum est, ut sint & vocentur Sponsæ Christi.



GRE-

GREGORII CORTESII

DE DIREPTIONE GENUÆ

L I B E R.



E Codice MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis N. 6261. olim 10435.

178



GREGORII CORTESII

MUTINENSIS, CASINATIS MONACHI

DE DIREPTIONE GENUÆ

LIBER.



EST hoc in rerum naturæ legibus positum, ut nihil æque rebus omnibus robur, incrementumque præstet, uti congruens inter se partium unitas, & summa consensio; quod item potest in regendis, administrandisque imperiis, idem pro communi salute animus atque concordia. Hoc ipsum quoque cum cognosci possit in divinitatis operibus, quæ non diuturna tantum, sed etiam sempiterna ea produxit, quibus nulla insita est naturalis, interiorque causa dissidii; magis adeo in iis, quæ mortalium cura inventa, atque constituta ab iisdem reguntur, intueri licet. Si namque quæramus quid minimas urbes ad opes maximas, imperiaque provexerit, nihil erit quod rectius respondere possimus, quam

animorum conjunctionem, & ad ipsas stabiliendas, eosdem omnium cogitatus, & voluntates. Si vero rursum consideremus quid jam ad summum splendorem, gloriamque provectis excidium tulerit; continuo animorum dissensionem, atque discordiam inveniemus. Nec vero difficile nobis esset complures, maximasque respublicas enumerare, voluntatum unitate constitutas, dissipatas seditione, nisi ad hæc omnia unicum satis esset exemplum Romani imperii, quod optimis artibus & belli, & pacis in tantam rerum amplitudinem diuturna consensione excreverat, ut humana aliqua vi non everti modo, sed nec debilitari posse videretur. Verumtamen ad id, quod rerum usus, ratioque fieri posse negabat, consilium invenere principum in Republica virorum conflictus atque dissensio, ut non satis intelligere possimus, clariorne fuerit in secundis, prosperisque rebus splendor, & amplitudo, an in clade, & ruina casus, atque calamitas miserabilior. Eadem nempe Civitas, quæ devictis omnibus nationibus prædam, triumphosque reportarat, præda ipsa deinceps extitit propemodum omnium nationum: mirumque magnopere est, cum id omnes homines & videant, & intelligant, ipsis tamen actionibus, & toto vitæ tenore reprobare. Sensit idem nuper Genuensis Civitas rebus terra, marique gestis abunde potens, atque magnifica, quæ demum intestinis agitata discordiis ejusmodi passa est calamitatem, ut illam ab excidio magis fortuna, quam humanum consilium, aut ratio liberaverit (1). Qua de re quoniam nobis scribere est animus, priusquam hujuscemodi narrationem aggredior, quis rerum status fuerit, cum ea acciderunt, quam paucissimis declarabo.

Cruen-

(1) *De intestinis discordiis, quibus Sæculo XVI. agitata Civitas Genuensis* ejusmodi passa est calamitatem, ut illam ab excidio magis fortuna, quam humanum consilium, aut ratio liberarit, *consulendus est Ubertus Foglieta in dialogis inscriptis* Delle cose della Repubblica di Genova *rursus editis Mediolani Anno 1575.; qui discordias Fregosiam inter & Adornam familiam tribuit ambitioso nobilium hominum fastui, ac plerumque homines populares defendit, quos a Reipub. administratione injuria exclusos dicit.*

Cruento illo prælio, quo Rex Gallorum Franciſcus exercitu Helvetiorum pene ad internecionem apud Mediolanum profligato (1), robur, ſpiritusque ferociſſimæ gentis maxime attrivit, tantum nominis, & famæ rebus Gallicis accreverat, ut futurum videretur uti deinceps abſque ejus nutu, atque authoritate nulla res gravior in Chriſtiana Republica adminiſtrari poſſet; quo factum eſt, ut Leo decimus Pontifex Maximus, qui eventum belli expectans ad eam diem medium ſe Gallorum, & Helvetiorum geſſerat, ad partes victoris cœperit inclinare, miſſiſque ad Regem Legatis placuit locum medium utriuſque colloquio deligi, ut de ſummis Chriſtianæ Reipublicæ negotiis inter ſe agitarent. Locus Bononiæ delectus eſt, quo paulo poſt & Rex ipſe, & Pontifex convenere. Ibi magis de privatis utriuſque commodis, quam de communi Chriſtianorum ſtatu tractatum eſſe vulgo creditum eſt. Pontifex certe Placentiam, & Parmam, quæ Regni Mediolanenſis eſſe putantur, & quas Ludovico XII. Gallorum Regi Julius II. Pontifex Maximus ademerat, abſque mora reſtituit, pactus ut in recuperanda Ferraria, quam vi, atque injuria ab Eſtenſibus occupari dicebat, cum juris illam Summi Pontificis eſſe conſtaret, copiis, & auctoritate Regis uti poſſet (2). Soluto conventu Principes diverſi, Romam alter, alter in Galliam, conceſſere. Subſecuta ſunt paulo poſt inter Urbini Ducem, & Leonem bella (3), quibus quoquo modo compoſitis, is ſtatus rerum ſucceſſit, ea quies temporum, ut, quod jam inde ab Auguſti temporibus nunquam accidiſſe conſtat, pace terra marique parta, univerſus orbis a bellis quieſceret (4); cujus diſtur-

(1) *Gallorum Regis victoriam ad Annum 1515. refert Cl. Ludovicus Antonius Muratorius, Italicorum Annalium Tomo X. pag 116. ſeq. editionis Mediolanenſis anni 1749. ibique ex Anonimi Patavini auctoritate narrat ad 10000. Helvetios caſos fuiſſe. Eodem autem Anno Octavianus Fregoſius Genuenſium Dux Genuam tradidit Gallorum Regi, ut habetur ex Annalibus Civitatis Genuenſis ab Auguſtino Iuſtiniano editis Genua Anno 1537.*

(2) *Conventum inter Leonem X., & Franciſcum I. Muratorius (loc. cit. pag. 120., ſeq.) ad eumdem Annum refert.*

(3) *Subſequuta inter Leonem, & Urbini Ducem bella pertinent ad annum 1516.*

(4) *Pax, qua univerſus orbis a bellis quievit, mandari debet anno 1517.*

ſturbandæ initium factum eſt a Gallis. Cum enim nuper ii quibus ea facultas demandata eſt, Imperatorem Romanum elegiſſent Carolum Hiſpaniarum Regem; (1) Franciſcus qui Regnum ab utroque latere illi finitimum haberet, tantæ potentiæ incrementum ſuſpectum habere cœpit, neque, dum Regnum illius everteret, jure an injuria id aſſequeretur, quicquam penſi habebat. Erant ſub Caroli ditione, præter ea quæ recepta jam conſuetudine Imperatoribus conceſſa ſunt, utraque Hiſpania, & longe maxima pars Belgicæ Galliæ; præterea in Germania Auſtriam, Stiriam, & Cherintiam; in Italia Regnum Neapolitanum poſſidebat, paterna illa, hoc autem materna ſucceſſione. Accedebant Sicilia, Sardinia, & Baleares Inſulæ (2). Opportunum igitur Franciſco viſum eſt Regulum quemdam Robertum Marchiæ Dominum in ea Belgicæ parte, quam inferiorem Germaniam appellant, qui nuper a Carolo deſecerat, in tutelam ſuſcipere. Nec eo contentus, facto de improviſo incurſu in Navarræ Regnum quæ olim Vaſconia dicebatur; illud ipſum modico negotio occupavit; ſecutus deinde victoriæ curſum, in ea Cantabriæ parte, quæ eſt inter Oceanum, & Pyrenei radices, unde facilis in Hiſpaniam ex Gallia eſt tranſitus, fontem Rabinum & natura loci, & manu munitiſſimum oppidum cepit. Conflato igitur bello inter potentiſſimos Reges, Leo Pontifex, qui ad eam diem rebus Gallicis favere viſus fuerat, nova cepit conſilia, quod ſe fraudatum a Franciſco in re Ferrarienſi videret; quippe qui Alphonſum Eſtenſem opibus, & authoritate tutaretur, ne dum ut in ea expeditione Pontificem copiis adjuvaret. Præterea vim magnam pecuniarum, Leonis permiſſu, ex Sacerdotiorum decumis exactam, contra atque illius voluntas eſſet, interverterat. Tulerat eam contumeliam opinione omnium acerbius Leo, vir tamen & ſuopte ingenio, & communi more gentis ſuæ, ad ſimulandum diſſimulandumque æque habilis; quam ex illa injuria indignationem conceperat, tantiſper tacitus intra ſe compreſ-

(1) *Carolus V. electus fuit Romanorum Imperator anno 1519.*

(2) *Anno 1521. Gallorum Rex diſturbanda pacis initium fecit.*

pressit, quoad vindictæ facultas visa est sibi præberi. Clam igitur fœdere icto cum Carolo Imperatore, communicatoque consilio cum Mediolanensibus quibusdam adversæ Regi factionis, de expellendis Italia Gallis occulte agere cœpit (1). Quæquæ Civitates ad id opportunæ visæ, in his consilia proditionis ad certum diem sunt constituta. Dies fuit octavo Kalendas Julii, qui ritu anniversario Joanni Baptistæ est dicatus. Veruntamen decreta proditione, sumptoque crudeliter de Nobilibus aliquot supplicio, aperto bello Gallos persequi Pontifex omnino constituit. Declarato igitur Copiarum Duce (2) Prospero Columna, viro belli scientissimo, ingenio acri, & providentia fere supra humanum modum, concessaque Federico Mantuano Principi authoritate ferendi Signa Romani Pontificis, cum ut opportunitate urbis Mantuanæ in eo bello posset uti, tum etiam quod Principem ipsum maximo sibi usui fore speraret; Parmam primo impetu conjunctis copiis invadunt; qua aliquot menses obsessa, cum expugnatio parum procederet, altero Federico Gonzaga Mantuani Principis Consobrino, qui rebus Gallicis favebat, urbem impigerrime defendente, magis ex re visum est impetum omnem in arcem ipsam, caputque belli Mediolanum convertere. Ob eam rem Legationem sibi in Castra suscepit Julius Medices Cardinalis, Summi Pontificis Consobrinus, vir maximi animi, atque consilii, qui deinde Pontificatum Maximum adeptus, Cle-

mens

(1) *Eodem anno 1521. postridie Id. Maj cum Carolo V. inisse Fœdus Leonem X. refert Muratorius (loc. cit. pag. 146.)*

(2) *Prosper Antonii Salernitani Principis filius, Trajecti Dux, & Fundorum Comes. Eo tempore quo Carolus VIII. Neapolitano regno potiri aggressus est, Gallorum partes est secutus, ab illis postea discessit ut hostium partes sequeretur. Id illi vertunt crimini Galli scriptores: Pugnavit Prosper pro Ferdinando Aragonio, qui Neapolim, & urbes alias recuperavit anno 1496. Pugnæ interfuit prope Barulum, & ad Lirim flumen, quæ Gallis fuerunt adversa; posthac bellica scientia laudem promeritus est in Capua, Suessa, aliarumque urbium expugnatione. Strenue item dimicavit in obsidione Patavii, Cremæ, Bergomi; sed cum anno 1516. itinera Gallis intercludere vellet ne Alpes transirent, ab iisdem captus fuit, dum Villa-franca apud Padum pranderet. Captivus ductus est in Gallias, sed in libertatem restitutus, ut recentem injuriam averteret, majori robore decertavit. Anno 1522. Gallos etiam profligavit in Bicocensi pugna, in Mediolanensi expugnatione multa præstitit, & tandem 71. annum agens occubuit 30. Dec. 1523.*

mens VII. fuit; tulitque casus, ut post illius adventum brevi Mediolano potirentur, magis, ut vulgo creditum est, fortuna, & in re militari Gallorum imperitia, quam consilio, aut ratione. Paucis deinde mensibus, quod residuum fuit Mediolanensis Regni, arcibus quibusdam dumtaxat exceptis, in Pontificis, Imperatorisque potestatem concessit (1). Nihil jam amplius erat, quod in Italia Galli possiderent præter Genuam, cujus ditionem aliquot ante annos Octavianus Fregosius, qui in Republica Princeps fuerat, eumque gesserat Magistratum, quem illi Ducem appellant, de Senatus authoritate in Franciscum Regem transcripserat, adjectis tamen conditionibus ut penes se Reipublicæ procuratio permaneret, nihiloque esset libertas civium quam antea imminutior; arcem vero custodiret Præfectus a Rege ad id missus. Sed quoniam rerum Genuensium gratia sermonem hunc instituimus, res postulare videtur & illius Reipublicæ conversiones, & urbis situm paucis exponere. Qui mortales Genuam, & qua tempestate condiderint, a nemine pro certo traditum comperi, cujus authoritas merito sequenda videatur. Prima ejus mentio fit in rebus Romanis per secundi belli Punici tempora, quando a Magone Duce Carthaginensium direpta, & pene funditus eversa fuit, & Senatus Consulto deinceps per Sp. Lucretium instaurata atque restituta. Cumque jam inde ab eo tempore ob loci opportunitatem maritimaque commercia, maxima rursus incrementa cepisset, alteram passa est calamitatem & cladem, per Conradi Romani Imperatoris tempora, qui fuit primi Henrici Filius, Sarracenis illo profectis cum valida numerosaque classe, qui non modo urbem ipsam populati sunt, sed igni etiam pleraque devastantes, partem longe maximam incolarum captivam abduxerunt. Ab eo periculo, quod incidit in annum nongentesimum trigesimum & quintum, res Genuensium apud Scriptores illustriores, clarioresque esse ceperunt, sive quod tum denique

Civi-

(1) *Hæc omnia anno 1521. gesta sunt, et Leo X. Kal. Dec. ac prope finem ejusdem anni vita functus*

Civitati cura fuerit conscriptis annalibus res domi, forisque gestas memoriæ commendare, sive quod eadem loci habilitas ad peregrinas merces invehendas, exportandasque opibus & domesticis, & externis Rempublicam brevi prosperam, potentemque fecerit. Ingentes classes parare, & mole quadam immensa navigiorum, & numero formidabiles, amicis portare auxilium, inimicis terrori formidinique esse. Possem hic memorare maximas hostium classes fusas fugatasque; expugnatas direptasque urbes, & mœnibus, & locorum natura, & numero hostium munitissimas; potentissimam Venetorum Rempublicam crebris in bello, altera super alteram acceptis cladibus, ad tantam rerum suarum desperationem devenisse, ut ultro facultatem Genuensibus obtulerit dandi sibi quascumque vellent conditiones; fusam, fugatamque aliquando Hispaniarum Regis classem, eoque prælio tres Reges captivos factos; ex Syria denique, Cypro, Peloponneso, Thracia, Asia reportatos triumphos: postremo in extremis oris ad Thracium Bosphorum & Chersonessum Tauricam non deductas tantum, sed ædificatas etiam Colonias, Capham, & Peram. Liberi item juris tunc illam fuisse natura gentium, æque leges declarant, æque Respublicæ, quasque ex sese, ut ita dicam, ortas, constitutas, & stabilitas propriis etiam legibus, & moribus vivere permittunt, & quod nulla apud illos servitutis antiquæ vestigia resident, ac si quid ab Imperatoribus, Summisve Pontificibus juris accepere, id non uti subditis, sed veluti amicis, & de se meritis optime concessum apparet: cum etiam inter eas leges, quæ fere totius orbis consensione sunt receptæ, capita quædam sint, quibus summa Genuensium libertas asseritur. Primum imperii nomen apud ipsos Consulum fuit, qui quaterni, interdum seni, electi ex ipsis Civibus summam omnium authoritatem habebant, quo demum Magistratu abrogato, Prætores habere cœperunt. Unicus eligebatur, qui annuum Imperium, & Reipublicæ procurationem haberet; nec ita diu postea immutato more ipso, formaque administrationis, degenerantibus jam vocibus etiam Magistratuum in barbara vocabula, Capitaneos

constituerunt, qui bini Reipublicæ præerant; permansitque is Magistratus usque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum nonum, quo demum Duces cœperunt habere, primusque Simon Boccanigra eum gessit Magistratum, a quo paulo postea casu quodam dejectus successorem habuit (1) Joannem Valentem, sub quo Civitas ipsa insignem calamitatem perpessa est. Cum enim prius arridente fortuna Imperatoris Græci, Venetorumque, & Hispanorum Classem conjunctis viribus, & animis adversum se profectam, quæ novem & octoginta triremes habuerat, Genuenses ipsi sexaginta tantum triremibus, Præfecto Pagano Auria, apud Chalcedonem complures depressissent, disjecissent alias, partim etiam captivas duxissent; Veneti Hispanique ignominiam non ferentes, reparata octoginta longarum navium classe, apud Sardiniam cum classe Genuensium, cui præerat Antonius Grimaldus, conflixerunt. Fuerat prior pugna adeo cruenta victoribus, ut triremium longe pars maxima inanis pene vacuaque propugnatoribus tunc reperta sit; quare ex rostratis navibus sexaginta, pluribus amissis, reliquæ decem & novem, nautis, militibusque semiplenæ, & debilitatæ, primæ omnium de amissa Classe, hostiumque victoria, civibus suis nuncium attulerunt. Quare Civitatis attritis viribus, cum nec ex navalibus tantum supplementi deduci posset, quod satis esset ad reparandam Classem, versarenturque in maxima pecuniarum angustia, extrema omnia experiri statuerunt, potius quam in nomine Genuensi ejusmodi ignominiam residere paterentur. Præceps igitur ex indignatione consilium, & quod deinde juxta urbi & civibus perniciem attulit, publice iniere. Florebant tunc Vicecomitum in Italia opes, divi-

(1) *Post Simonem, qui anno 1344. dejectus fuit, nonnulli collocant quemdam Joannem de Mutta, qui prope finem anni 1350. occubuit. Post hunc electus est Joannes Valens, de quo hic, qui die 9. Octobris 1353. se magistratu abdicavit, ac tum Genuenses se se subjecerunt Joanni Vicecomiti, qui Genua præfectum constituit Guglielmum Marchionem Pallavicinum. Elapso vix anno tertio præfectum ejecerunt Genuenses, atque tunc iterum Ducem elegerunt Simonem. Prohibuit hic, ne nobiles arma ferrent, potentiores relegavit, cum Vicecomitibus bellum gessit, & tandem veneno interiit anno 1363., eique tum successit Gabriel Adornus ad annum usque 1370.*

divinaque omnia ; & humana Mediolanensis Regni in potestate Joannis erant , qui ejus Civitatis & Princeps & Pontifex, postremo longe lateque majorem quam acceperat Vicecomitum ditionem reliquit. In hunc conjecto animo Genuenses, pacti prius ut pecuniam pro Classe instauranda repraesentaret ; sese urbemque suam in Vicecomitum vim, potestatemque tradidere. Sic potens, opulentissimaque Civitas iracundia, odioque, pessimis usa consultoribus, in spontaneam recidit servitutem; qua adeo deinceps accisa, depressaque est, ut omnem cladem, omnemque ignominiam, si quae deinceps secutae sunt, pessimo illo consilio possit acceptas referre. Quamvis enim ejusmodi conditionibus se se dediderint Genuenses, ut amici magis foederatique Vicecomitum quam subjecti essent, & legibus, moribusque suis uti permitterentur; Praefectum tantum Mediolano acciperent, qui nihil absque eorum consilio, autoritateque ageret, qui publico nomine pro gubernanda Republica a Civibus deliguntur ; visa tamen est haec causa gravissima, quare in posterum qui Regno Mediolanensi potirentur, persuasum haberent pari jure Genuensium quoque urbem ditionis suae esse.

Redacto igitur in ordinem Joanne Valente, Praefectum a Vicecomite accipiunt tertio & quinquagesimo supra trecentesimum & millesimum annum a salutis initio, fueruntque in eo rerum statu triennio, quo exacto, assumptoque jam ex humanis Joanne Vicecomite, Genuenses quod non ex foedere, sed superbe nimis a Barnabove illius Nepote coeptum esset imperitari, populariter defecerunt ; rursusque Simone Duce instituto pristinam omnino libertatem sibi recuperasse videbantur. Sed cum Imperii, vitaeque finis illi accidisset octavo anno, ex quo iterum Dux creatus fuerat, publico Patrum Suffragio in defuncti locum sufficitur Gabriel Adurnus, primus ex ea familia Magistratu illo functus, qui sexto deinde anno populari tumultu a loco, graduque dejectus successorem habuit Dominicum Fregosium, qui dignitatem illam primus & ipse in domum suam intulit, idibus Augusti Dux creatus, adjectis septuaginta an-

nis ad mille & trecentos. Tum vero primum excitatis seditionibus, Civitas factiones habere cœpit; pars Patriciorum Adurno, alii Fregosio favere; illi vero ita se gerere, quasi non a Civibus suis, sed paterna, avitaque successione legitimum, hæreditariumque Imperium haberent. Cum enim liberum Civitati esse debeat quem potissimum velit e Plebe Ducem eligere; nam Patricii penitus ab eo Magistratu repelluntur: cœpit ex eo tempore utraque Familia decertare, non ut meritis in Rempublicam altera alteram superaret; non ut virtute tantum ad eam grasserentur dignitatem, cujus dandæ, adimendæque libera potestas populo esse deberet; sed qui extorres sunt, tanquam paterna sibi hæreditate adempta, moliri, parare, sibi externa auxilia adjungere, opes suæ factionis implorare, precibus fatigare vicinos Principes, dies, noctesque tantisper non quiescere, donec Rempublicam ab aliis crudeliter occupatam vicissim & ipsi crudelius invadere possint. In ejusmodi certamine Patria ipsa, quæ media est, impie, nefarieque dilaceratur. Quid enim reliquum sit Reipublicæ præter excidium, cum privatim potentiæ, dominationisque cupiditas, & libido vigent, publice autem libertas, æquabilitasque, qui se tueantur, non inveniunt? Inter has factiones diu multumque alternante fortuna, devenit illa summa potestas ad Antoniottum Adurnum, qui Imperium, opesque suas majori quadam subnisas potentia, munitiores fore confidens, seque, urbemque suam Gallorum Regi dedit, iisdem ferme pactionibus, quibus olim Vicecomitibus se se dediderant, usus præcipue consilio Civium factionis suæ, qui sibimet libertatique Reipublicæ juxta praveque consulentes, nihil pensi habuerunt, dum sibi in posterum plus timoris potentiæque adderent; at quæ pars Civium longe major, meliorque erat, magis invita repugnans tantam pertulit contumeliam. Habuere deinde diu Præfectos interdum a seipsis, interdum a Principibus Mediolani, interdum a Regibus constitutos, donec in Patricios excitata Plebs Nobilitatem omnem Genua expulit, pariterque eum, qui Regis nomine procurationem habebat Civitatis. Usque pro libidine ejusmodi rerum successu Ducem

quem-

quemdam delegit infimæ fortis hominem; præterea seditiosos constituit Magistratus. Cumque magis studio partium accensa quam ex sono Reipublicæ universa moderaretur; solutaque vis quædam, atque dispersa potius, quam ratio aut consilium universa regeret; locum dedit factioni Nobilium; quæ magis consensione pollebat, paulo post Regem reducendi, qui verbo quidem modestiam, mansuetudinemque in multitudinem, quæ deliquerat, præ se ferens, cæterum reipsa asperrime victoria usus est; quod nullis amplius pactionibus, nulla fœderum lege se astrictum esse diceret, quando vi, & armis, non spontanea Civium deditione Genuam recuperasset. Primumque in Suburbano Civitatis, in excelso quodam promontorio, quod Genuenses Caput Phari vocant, Arcem construxit, adeo & natura loci & manu munitam, ut ea præcipue de causa freno illi nomen sit inditum; quod persuasum haberet hac ipsa veluti frenis quibusdam astrictos Genuenses assidue deinde in fide permansuros. Populares, quod usum nocturni luminis nautis præberet Portum, cui imminebat, ingredientibus, honestiore vocabulo Laternam appellabant. Hanc ipsam igitur, & alteram Arcem, quæ a continenti imminet Civitati, firmis præsidiis munivit, impositoque Præfecto, qui non jam ex pristino fœdere, sed sicuti bello captæ urbi jura administraret, robur omne, & nervos popularis factionis excidit. Verum haud ita diu postea expulsis per Julium II. Pontificem Maximum Italia Gallis, cum Antoniottus, & Hieronymus Adurni Fratres vix altero, & vigesimo die urbi præfuissent, ab Octaviano Fregosio, qui Julii opibus nitebatur, expulsi fuere. Ipse autem Dux constitutus Arcem Capitis Phari, coactis qui in Præsidio erant post longam obsidionem deditionem facere, funditus evertit, ut nec vestigium quidem superfit maximi, magnificentissimique Operis, cui, dum extaret, ut opinio hominum ferebat, nihil erat in eo genere usquam gentium quod æquari posset. Qua in re admirabilis omnibus visa est sapientissimi viri animi magnitudo, a quo cum expugnata ejusmodi arce, & in sui potestatem redacta, satis intelligeretur facile eventurum, ut ali-

quan-

quando sibi privatim non usui tantum maximo, sed saluti etiam esse posset, rebusque suis & robur, & authoritatem, si incolumis servaretur, conciliaturam, rationem tamen in primis habendam duxit & Patriæ libertatis, & Fidei, quam civibus suis dederat. Si quidem futurum esse intelligebat, ut opportunissimo loco sita, non secus atque appellabatur, frenum splendidissimæ Civitati assidue in posterum esset. Quare non minori consilio, atque animi magnitudine illam funditus delevit, quam antea virtute, atque perseverantia expugnasset, nondum expletis annis septem, ex quo Ludovicus Rex fundamenta posuerat. Cœterum Julio fatis concedente, electoque Leone Florentino Pontifice Maximo, Octavianus animum illius erga se suspectum habens, quo majoris cujuspiam potentiæ vi, atque authoritate Principatum suum stabilem tutumque redderet, simulque hostibus esset formidini, id quod jam diximus fœdus pepigit cum Francisco Rege Gallorum, tantumque rebus Gallicis favoris & roboris adjectum est, ejus Principis, Genuensisque Reipublicæ accessione, ut quicquid deinde vel virtute, vel fortuna Franciscus Rex gessit, ut id gerere posset, ex hoc fœdere assecutus esse videatur. Usus est namque trito, facilique itinere in trajicienda maxima parte exercitus per Ligurum fines, cum aliunde ubique asperi, impeditique tramites essent, & sub radicibus Alpium consedissent Helvetii, quo facilius Gallos transitu prohiberent. Compluribus insuper cohortibus auxiliaribus Ligurum pecuniaque in stipendium a Genuensibus suppeditata exercitum suum fama, hostes autem terrore affecit. Nec interim tamen ipsemet Octavianus quievit, sed coacta voluntariorum militum haud contemnenda manu, Alexandriam Cisalpinæ Galliæ urbem, opportunissimo loco ad invadendum Mediolanense Regnum sitam, vi, consilioque occupavit, ut demum superatis Alpibus potuerit Rex per pacata ab hostium incursionibus loca Mediolanum usque contendere. Parta deinde maxima victoria, occupatoque Mediolanensi Regno, cum Regis Præfecti magis ex libidine, avare, & superbe, quam ex Italorum moribus Regnum administrarent, in Italia omnia illi adversa acci-

cide-

ciderunt. Fusi, deletique, exercitus, popularium animi, Civitates ipsæ alienatæ. In Gallia vero parum prosperæ res, spes longe difficillima. A tergo & lateribus Carolus Imperator, & Henricus Britanniæ Rex violentissimi hostes. Quare prorsus in Italia accisis Francisci viribus, Octavianus tamen a fœdere non discessit. Interea Columnensis multis, maximisque præliis victor, bello propemodum jam patrato, nihil spei aut auxilii Gallis in Italia reliquum facere volens, vim omnem impetumque belli in Octavianum, Genuamque convertit (1). Erant in ejus exercitu quos dudum nominavimus, Antoniottus, & Hieronymus Adurni Fratres, per Octavianum a Principatu dejecti, & cum iis gentis Spinulæ longe maxima pars; ea namque Familia cum & numero hominum & privatim opibus, pene omnibus Genuensibus præstet, adversa semper factioni Fregosiorum, tandem ferme cum Adurnis ad prosperam adversamve fortunam subire consuevit. Erant præterea & ex Patribus, & ex Plebe quam plurimi Genuensium, qui extorres ob civiles discordias spem maximam recuperandæ Patriæ posuerant in Imperatoris exercitu. Igitur Columnensis horum ope fretus, in maximam spem adductus Genuæ potiundi, eo cum exercitu proficisci parat. Octavianus ubi hostium consilia intellexit, tametsi rationem Gallorum & in administrando bello, & in procuratione Regni nunquam satis probarat, tamen quod jurejurando & fœdere se obstrictum intelligeret, opibus & ingenio obviam periculo proficisci decrevit. Nec enim credibile videbatur Franciscum Regem commissurum esse, ut non quam maximis, & quam promptissimis auxiliis laboranti Genuæ opem ferret, cum quod in ea solum, ex tunc res in Italia erant, spes il-

lius

(1) *Quæ superius innuit auctor ea pluribus enarrata videas apud Justinianum, Muratorium, & alios. Quæ vero hic leguntur ea idem Muratorius (loc. cit. pag. 263. seq.) refert ad annum 1522. Animadvertendum tamen tum Muratorium, tum Justinianum adserere direptioni datam fuisse Genuam III. Kal. Junii. Quare mendum irrepsisse videtur in nostri auctoris opusculum, in quo Genua direpta dicitur III Kal. Julii, quod mendum exscriptori tribuendum esse putaverim. Neque enim diligentissimus auctor, qui ea ætate vivebat, putandus est ea in re errasse.*

bus inniti posse videbatur; tum præcipue quod cum Regnum finitimum Liguriæ haberet, terrestres, maritimasque copias parvo negotio illuc posset transmittere; nec cur id facturus non esset, aliquæ omnino causæ occurrebant. Et quoniam in urbe ipsa ob adversæ factionis potentiam nihil pene tutum fore Octavianus putabat, in primis magnam civium multitudinem, uti quisque maxime ei suspectus erat, Genuam exire & partim trans Apennini juga, alios ultra Savonam proficisci imperat. Si qui vel verbo, vel ætate parere non potuerunt, illis omnibus jussum, uti domi se continerent, nec deinde in publicum procederet, nisi qui contrariæ esset Adurnorum factionis. Legati præterea ex Patriciis duo in Galliam, qui Franciscum adeant, doceantque quanto in periculo Genuæ res illius versentur; quod in Italia maximi fusi, deletique essent exercitus, fugati Duces, Populorum animi alienati; nihil proinde a Mediolanensi Regno præsidii expectandum, quando id in Imperatoris ditionem concessisset: Cæterum Genuæ ad ejusmodi usus publicum ærarium non haberi; privatis porro opibus uti, inter tot dissidia, & factiones, quibus ea Civitas laboraret, id vero nisi adhibita vi fieri non posse, quod in tam dubiis rebus juxta sibi Regique perniciosum fore arbitraretur. Præterea a terra hostem sæpius victorem acriter urgere, & qui secum in castris longe maximam Civium partem haberet Gallorum potentiæ, æque ac Fregosio nomini infestam; mari insuper hostilem Classem adventare, quæ, ut tunc res se se haberent, longe numerosior esset, longeque instructior Genuensi; proinde nisi sibi rebusque suis consuleret, atque e Gallia maritimæ, terrestresque copiæ auxilio urbi adventarent, brevi fore, ut reliquum spei, quod Gallis in Italia supererat, ipsa quoque Genua in hostium potestatem deveniret. Animo deinde conversus ad mœnia Civitatis reparanda, quod aliquibus in locis vetustate aut infirma, aut disjecta essent, partim instaurari jubet, partim intrinsecus ducto de cespitibus & materia aggere, munitiora reddi: ad hæc loca, quæ sibi magis opportuna visa sunt ad summovendos hostes, ea omnia æreis machinis muniri præcepit.

cepit. Præterea quicquid aquarum erat in Suburbiis, nam fere pluvia aqua ex cisternis Genuenses utuntur, putritico & isatide corrumpit, ut inepta fieret ad bibendum. Cum vero quidam hortarentur ut veneno cisternas inficeret, sic enim futurum ut nullo periculo bona pars hostium imprudens tolleretur, respondisse ferunt, legitima gentium & naturæ jura etiam adversus hostes servanda esse, nec vitianda esse elementa ob injurias hominum, quæ ad omnium usus natura parens sincera, incorruptaque esse voluisset: fortes viros non veneno, aut ejusmodi maleficiis, sed ferro in præliis uti consuesse: tum quod in maxima rei pecuniariæ angustia versaretur, auctis aliquantulum pro tempore vectigalibus, exactisque inde aureorum nummum triginta millibus, parvam peditum manum collegit, & ejusmodi ut facile constaret collectitium tumultuariumque militem esse; partim Agricolæ, Artifices alii, plerique vero omnes inermes, insciique bellorum: virtutis tamen, roborisque plurimum erat in prætoria Cohorte, quæ custodiæ gratia Principem comitari consueverat. Proinde Prætoriani milites, quibus Nicolaus Fregosius Dux impigerrimus præerat; & ex Corsica quidam, & pauci præterea iam inde a pueritia in factionibus, & civilibus discordiis versati usum aliquem armorum habere putabantur. Accidit vero incommodissime ut illis ipsis diebus Octavianus ex dolore pedum gravissime ægrotaret, nec, ut negotij ratio postulabat, præsens ipse omnia posset administrare; qui etsi in tenuissima etiam valetudine nec nocturnum quidem tempus quieti concedebat, fieri tamen nullo pacto poterat, ut quæ in rem præsentem dirigenda fuissent, prompte posset obire. Initio enim cum eas urbis partes sibi tutandas suscepisset, in quibus plus periculi futurum esse putabatur; deinceps vi morbi ingravescente coactus est decubare; quare multa negligenter, multa imperite, complura etiam trepide sunt administrata. Rebus tamen, quemadmodum diximus, ordinatis hostium exercitum expectare constituit: at ille maturius opinione omnium levi prius equitum excursione facta XIII. Calendas Junii, Suburbiis Civitatis appropinquavit: ut vero facilius, illustriusque cognosci possint, pau-

ca de Urbis situ quam id brevissime fieri poterit, explanabimus. Posita est Genua in medio ferme Liguriæ tractu, æquali propemodum spatio distans hinc a Navo, inde vero a Macra, qui amnes Liguriam, ille a Narbonensi Provincia, alter hic ab Etruria disterminat; ipsa in parvo sinu posita duobus hinc inde promontoriis intercepto; alterum quod occidentalius est Phari, alterum Carignani caput ab incolis appellatur. Horum frontes duobus inter se passuum millibus distant; cum vero montes acclivi descensu & a fronte, & a lateribus in mare procurrant, circiter tamen medium sinum inter mare, & montium radices, planicies parva intercepta est inæqualiter actu protensa, ubi minimum patet, centum; quingentorum passuum, ubi amplissima est, quod in media illius longitudine contigit. Ab hujus ferme planiciei occidentali capite originem sumunt mænia Civitatis, muris in mare procurrentibus, qui ubi paululum per acclive montis latus ascenderint, parvis vallibus impediti & ea propter conversi denuo ad planiciem, paulo post rursus ascendere incipiunt, ut illorum figura nullo magis exemplo, quam serræ dentium exprimi possit; sicque in orientem extensi, Arcem primum obviam habent, quæ in devexo sinu montis posita a Septentrione imminet Civitati; hanc ipsam ab utroque latere complectentes, & jam inde ad meridiem flexi Orientale latus ejus Montis, quem Carignanum appellavimus, muniunt, in præcipiti quadam ejus parte collocati; inde in mare vergentes terminant urbem. A littore Civitas immunita est, sinus ipse profundus maximorum etiam navigiorum capax. Cœterum dispansis mirum in modum ab utroque latere promontoriis, quæ sinum muniunt, vim, contumeliamque tempestatum naves in eo perferre non possent, nisi admirandis quibusdam substructionibus Genuenses molem maximam Austro opposuissent, cujus caput in Africum conversum & ad promontorium vergens, quod est a latere urbis occidentali, Portum efficit ejus generis, quod Antiqui Cothona appellant, duobus millibus passuum in mare excurrens. Ejus oppositu, quamlibet magnus numerus navium tuto in anchoris potest consistere. Sunt

præ-

præterea minores sex Moles, Cives ipsi Pontes appellant, maximis operis, & sumptu extructæ, exponendarum mercium gratia, & earum rerum quæ ad quotidianum usum Civitatis pertinent. In eadem parte Navale est pro opulentia urbis, & maritimarum rerum usu non adeo amplum atque magnificum. Ab Orientali Urbis latere secundum id promontorium, quod Carignani Caput appellavimus, Bisamnis fluvius, Feritor nominatur ab Antiquis, profluit. Ab Occidente vero secus alterum promontorium Porcobera, ut tamen inter Civitatem, & fluvium mons ipse intercipiatur. Porcobera in Apennini jugis ortus vallem a se denominatam intersecat, quæ difficillimo undique aditu omnes hostium impetus a Genua summovere consuevit; nam præter locorum asperitatem, & itinerum angustias frequentius vicis habitata, & asperrimo Montanorum genere, quo majores sunt exercitus, eo periculosiorem transitum per impeditos tramites habere solent. Ad hunc usque fluvium ab Urbis mænibus continentia Ædificia pertinent, & illa quidem ejusmodi ut & genere ipso, & magnificentia extruendi, addita diligentia in conserendis conseptis agris, omni pomiferarum arborum genere, & præcipue Citriorum, dubium sit specie ipsa, an amænitate magis intuentes oblectent. Cum igitur pauci levis armaturæ equites nemine dubio ad difficiles montium tramites, & Apennini juga ad littus usque excursionem fecissent, fuga, tumultuque omnia complevere; priusque auditum est paucos, trepidantesque complures se ex illis locis in urbem recepisse, quam de adventu hostium quippiam suspicari possent. Illi vero licenter vagari, ingredi domos, & pretiosissima quæque diripere, si qua ad Urbem deferebantur intercipere; id porro tam soluto animo, otiosoque fieri indignum Octaviano visum est. Itaque triremes quatuor, quæ forte tunc in Portu erant (1), Præfecto Andrea Auria, qui vir maritimarum

rerum

(1) *Hic ille est celeberrimus Andreas Auria, qui anno 1466. natus a primis annis militiam secutus Roma prius Innocentio VIII., postea Regibus Neapolitanis famula-*

tus

rerum experientissimus, pluribus Sarracenorum classibus captis, depressisque, decus sibi maximum, nomenque comparaverat, jussit ad ea littora proficisci, ubi major erat hostium vis, majorque tumultus. Incolæ Petrum in Arenis appellant, ibi Ostia Porcoberæ, & planicies ad littus usque pertinens liberum aspectum longe, lateque ex triremibus in continentem præbent; eademque parte cohors peditum præfecto Philippino Auria, terrestri itinere, unde major tumultus exaudiebatur, eo profecta est, levique commissa pugna, aliquibus utrinque vulneratis, confestim intra urbem se recepit, captivo quopiam ad Octavianum deducto, qui expositis prius hostium itineribus, atque consiliis, liber abire permissus est.

Die, quæ insecuta est, (1) Alphonsus Davulus Aterni, quam nunc Piscariam dicunt, Marchio, dimidiaque fere exercitus pars ab occidentali Civitatis late-

tus est, deinde Joanni Roberco Urbini Duci, cujus Filio Francisco Maria tutor datus est post mortem patrie. Hunc Genuam reversum Genuenses præfecerunt triremibus, quas Resp. servabat pro Rege Ludovico XII. Francisco I. se adjunxit, qui eum sui Ordinis equitem creavit, & præfecti classis munere insignivit, cujus classis imperium, potestatemque integram ei demandavit. Utiliter, & egregie Regis Francisci res gessit, in Sardinia præsertim, & prope Neapolim, cujus urbis in portu, tota ipsa urbe inspectante, Imperatoris classem penitus pessumdedit anno 1528. Postea Caroli V. Imperatoris partes amplexus est, & de hoc quoque præclare meritus est cum maxima Gallorum pernicie. Græciæ oras maximo terrore affecit, Turcisque viriliter licet obsistentibus Patris Achaja, Corone Peloponnesi urbibus est potitus, in infidelium naves impetum fecit, eosque præclare devicit. Carolus V., pro quo in expeditionibus Julia Cæsarea, & Tuneti signa tulit Andreas, hunc Melphitano Principatu donavit, & aureo vellere ornavit. Magno animo recusavit imperium in patria, cujus servator maluit esse quam Princeps. In hac Reipublicæ administrationem ita ordinavit, ut qui nobiles antea supremis muneribus arcebantur, nequaquam in posterum arcerentur, ex quo factum est, ut familiarum plebejarum depressione, Nobilium auctoritas reviviscerer. Anno 1552. quidam, qui piratis præerat Dragutus nomine, insignem de Andrea retulit victoriam. Anno 1564. Andreas expugnavit in Corsica S. Florentium, Gallis inde ejectis; sed tandem summa jam senectute confectus secessit in ædes amplissimas, quas in suburbanis Genuæ extruxerat, ibique obiit die 25. Novembris anno Æra Vulg. 1560. ætatis 94. Genuensis Respublica magnificentissime ei parentavit, & statuam poni jussit cum hoc elogio: ANDREÆ AURIÆ CIVI OPTIMO FELICISSIMOQUE, VINDICI, ATQUE AUTHORI PUBLICÆ LIBERTATIS, SENATUS, POPULUSQUE GENUENSIS POSUIT.

(1) Mendum huc irrepsisse puto, & pro Alphonso legendum arbitror Ferdinandum Davalum; nam primo Alphonsus, Ferdinando superstite, cujus erat consobrinus, nusquam in historiis Piscariæ sed Vasthi Marchionis nuncupationem obtinet; præterea nunc temporis Alphonsus vix vigesimum ætatis annum attingebat, neque facile credendum

recur

latere in ipsis Suburbiis castrametati sunt. Erat inter eos Hispanorum delecta Legio maximæ virtutis, & multorum stipendiorum Itali etiam ex Regno Neapolitano plerique, qui omnibus superioribus bellis interfuerant,

&

reor immatura adeo ætate tanti momenti rem illi magna ex parte demandatam fuisse; demum prope finem hujusce opusculi, cum Auctor noster sermonem habet de iis, quæ præcipui belli Duces, confecta re, intromissi in Senatum edixerunt, post Columnensem, & Sforciam, non Alphonsum, sed Ferdinandum Piscariensem nominat. Æque tamen insignis belli Dux fuit Alphonsus, & nos de utroque pauca pro more hic subiiciemus. Ferdinandus Franciscus adhuc trimulus desponsatus est Victoria pariter trimula, Fabritii Columnensis filia, curante Carolo V., qui utriusque familiæ concordiam sibi commodam auspicabatur. Illustriores sæculi XVI. scriptores præclaris laudibus cumularunt mulierem, cujus erant eximiæ corporis, & animi dotes. Anno 1512. Ferdinandus Ravennatensi pugnæ interfuit, & in hostium manus venit. In captivitate positus egregium de amore *dialogum conscripsit, quem uxori nuncupavit. E custodia eductus opera præsertim, & cura Joannis Jacobi Trivultii consanguinei sui, iterum arma sumpsit in Gallos, & strenue pugnavit pro Carolo V. tum in pugna Bicocensi, & Mediolanensis ditionis recuperatione, tum præsertim in celebri illo Ticinensi prælio anni 1525. in quo captus est Franciscus I. Per ea tempora cum tantam Imperialium potentiam non æquis oculis aspicerent Clemens. VII. Pont. Maximus, atque Italici Principes, fœdus inire in mentem venit, quo Carolum prohiberent ulterius progredi. Pontifex in societatem fœderis pertrahere studuit Piscariensem, & in præmium pollicitus illi est Neapolitani Regni Dominium. Ferunt conditionem ab initio non displicuisse, sed cum in ejus rei suspicionem venisset Carolus, Ferdinandus ut sibi consuleret, fatendum duxit se conditionem non abjecisse, imo sibi placere illam eo animo simulasse, ut fœderis consilia, & arcana detegeret. Paulo post Mediolani obiit die 29. Novembris ejusdem anni 1525. Maximus in illo fuit scientiarum amor. Cum nullos suscepisset liberos, hæredem bonorum omnium suorum scripsit Alphonsum consobrinum. Alphonsus Davalus filius Innici II., & Lauræ Sanseverinæ, Roberti Principis Salernitani filiæ natus est anno 1502. Direptioni Genuensi, de qua hic sermo est; & Mediolanensis ditionis expugnationi procul dubio adfuit. Anno 1535. secutus est in obsidione Tuneti Imperatorem, qui eum constituit sui exercitus præfectum. Ajunt in hac expeditione Alphonsum, cum conspexisset in fronte copiarum suarum Imperatorem Maurorum jaculis expositum, rogasse ut alio diverteret; & Carolum ejus voluntati obsecutum esse, ut facto comprobaret quanti habenda esset disciplinæ militaris custodia, & quam observandus esset vir, quem imperio dignum existimaverat. Ex eo tempore Carolus maximas res ejus dexteritati commisit, & Legati munere decoratum Venetias misit. Subsequente anno cum Venetias pariter misisset Franciscus I. Rex Cæsarem Fregosium Genuensem, atque Antonium Rinconium Hispanum, Alphonsus eos jussit interfici ex insidiis prope eum locum, ubi Ticinus in Padum effunditur. Anno 1543. Niceæ arcem, quam Franciscus Borbonius Dux Engii obsidebat, obsidione liberavit, sed non multo post Franciscus idem prælium secundum fecit postridie Id. Aprilis anni 1544. Cerisolæ prope Carmaniolam in Gallia Subalpina & Alphonso cladem maximam attulit. Hic, Paulo Jovio teste, veritus ne in hostium manus veniret, mutata veste e periculo evasit. Post Fregosii, & Rinconii necem, ultra quam credi possit, pertimuit Gallos aliquando nefariæ proditionis ultores. Tunc cum Asta Pompeja discessit ad Cerisolam pugnaturus, jussit sibi, hoste non profligato redeunti, urbis fores occludi. Nihilo tamen minus postea urbem ingressus est, ibique ignominiam, & dolorem ferre non valens medietatem barbæ sibi abrasit. Obiit Alphonsus pridie Kal. Aprilis anno 1546., ætatis suæ 44.*

& militaris disciplinæ peritissimi habebantur. Postridie ejus diei Hieronymus Adurnus in castra supervenit, maximum secum trahens Genuensium numerum, plerosque clientes popularesque factionis suæ, complures præterea qui partim coacti, alii sponte, immutationem rerum expectantes, ad eam diem exulaverant. Primum omnium placuit communi consilio Nuncium ad Senatum Genuensem mitti, qui eum doceret non eo animo ipsos illuc profectos esse, ut Urbi, Civibusve calamitatem aliquam afferrent; velle se, quoniam reliqua Italia depulsi essent Galli, omniaque, in Imperatoris potestatem concessissent, Genuam quoque ipsam in libertatem asserere. Si Senatus, Populique Genuensis voluntate id fieri liceret, nihil se hostile cogitaturos, temperaturosque milites ab injuria, & maleficio; si vero obstinate agere pergerent, summopere illis cavendum esse, ne eandem fortunam subire cogerentur, quam pleræque Civitates incurrissent. Nuncius ipse in urbem intromissus, consilio quorumdam Civium qui, quod illis multa licebant sub imperio factionis suæ, illud immutari ægre patiebantur, clam obvoluto capite ad Triremes deductus, nec facta illi Senatus, aut Principis conveniendi potestate, in catenas conjectus est. Id porro cum indignissimum æque hostibus, ac Civibus ipsis visum esset, quod gentium jura eo facinore violata viderentur, admoniti Alphonsus, Adurnique vim parandam esse, ad oppugnandam Urbem mentem, animumque adjecerunt. Principioque in Suburbio, quod Incolæ Faseolum appellant, in ea parte ubi Theodori ædes, porticusque publica est, machinas æreas disponere constituunt. Is locus portu abluitur, in quo multæ onerariæ naves prope molem ad anchoras deligatæ stabant; intrinsecus vero secus Navale Auriæ triremes & excelsior quædam rostrata navis, ex eo genere quæ cum triremibus pene sint similes, remis tamen præ altitudine nequeunt impelli. Nautæ Galleones appellant. In hanc igitur & triremes ipsas maximo impetu pilæ ferreæ ex machinis irruere cœperunt, ut tuto jam in Portu consistere nequirent. Quare maximo accepto incommodo, longe etiam majore periculo se ex

Portu

Portu in altum receperunt; depressa etiam est oneraria navis Familiæ Lomellinæ. Ex continenti vero ad mœnia Civitatis eminus sclopetis utrinque certatum est. Postridie ejus diei nunciatur Prosperum Columnam universi exercitus Ducem ad Orientale latus urbis in valle Feritoris castra posuisse, & cum eo Germanorum peditum Legiones duas, & paucos præterea Equites, quæ res eo majorem civibus timorem adjecit, quod cum Prospero simul intellectum est (1) Franciscum Sforciam adventasse, qui nuper expulsis Mediolano Gallis, Regnoque potitus, quod sibi paterna, avitaque successione deberi existimabat, ita denique se tutum arbitrabatur fore, si Genua quoque essent depulsi. Præterea ex Patricio Genuensium ordine Sinibaldus, & Otobonus nobilissimæ Fliscorum gentis, quorum adventus maximum momentum rebus jam inclinantibus attulit. Cum enim longe florentissima, potensque sit in Genuensi Civitate Fliscorum gens, ut eo fere victoriam trahere consueverit, quo voluerit inclinare; hi tamen potissimum Fratres inter cæteros longe principes habentur, quod in Liguria, ut regionis captus est, latissime ipsorum patet imperium. Tum vero cœptum est in Urbe trepidari, quod facile omnes conjectura assequebantur tantos Principes nequaquam per semetipsos expeditionem illam obituros fuisse, nisi eo consilio ut tum denique confecto negocio, & expugnata urbe discederent; quodque mirum in modum timorem, trepidationemque augebat, Nobilissimi quique Civitatis, & qui plurimum opibus, & authoritate pollebant, consilium videbantur cum hostibus communicare. Conjunctis namque viribus Civitatis facile quantumvis maximum numerum, furoremque hostium sustineri posse; at vero di-

stra-

(1) *Franciscus Sforcia III. frater Maximiliani, qui vi adactus est anno 1515. ditionis suæ imperium tradere Francisco I. Galliæ Regi. Franciscus Sforcia hoc anno 1522. Mediolanensi imperio restitutus, iterum postea ejectus, iterumque restitutus est a Carolo V. Carolus de eo conquestus est, quod occultum quemdam Francisci I. legatum admiserit. Sforcia ad tollendam ex ejusdem animo omnem suspicionem, jus gentium parvi faciens execranda perfidia legati caput abscindi jussit. Occubuit 9. Kal. Novembris anni 1535. nullis susceptis liberis ex uxore Christina, cujus erat pater Christiernus II. Daniæ Rex, mater Elisabeth Caroli V. soror.*

ſtractis Civium animis a Genuenſibus ipſis Genuam facillime captum iri videbant; nec dum etiam quippiam auxilii a Gallorum Rege adventare nunciabatur. Frumenti maximus erat in Civitate numerus, ſed molitorum cibariorum raritas, & pene inopia, ut paucis omnino diebus obſidio ſuſtineri poſſet; quam eo gravius etiam toleraturi putabantur, quod non pro Patriæ periculis, ſed pro controverſiis factionum omnis hæc contentio futura videbatur. Auxit Civium timorem quod poſtridie ejus diei, quo hæc acciderant, ad mænia Civitatis evertenda in devexo ſinu montis ejus, quem Incolæ Promontorium dicunt, pluribus locis machinæ ſunt collocatæ, maximoque impetu, & crebris ictibus ea murorum pars, quæ in acclivi montis latere ab Archangeli Michaelis Templo ad Portam proxime in plano collocatam, Divi Thomæ appellant, extenduntur, impelli concutique cœpta eſt; tametſi machinis interius quoque diſpoſitis prope eam, quam diximus, Portam aliquid incommodi hoſtibus afferebatur. Eo tamen deteriori erant conditione, quod qui extrinſecus muros concutiebant, certum, diffinitumque ſibi delegerant locum, ubi ſi muros evertiſſent, irruptionem ſibi putabant in urbem facilem futuram. Interius diſpoſita vero tormenta fortuito, & temere, nec certis, ſtatutiſque locis hoſtibus contumeliam facere poterant. Dum utrinque hac ratione certatur, repente e Gallia triremes tres ſupervenerunt, adjuncta biremi unica, & liburnicis duabus; præterea ejus generis navis, quas Galleones appellari diximus; quæ cum in alto viſæ eſſent, animos ejus factionis, quæ Gallicis rebus favebat, aliquantiſper recreaverunt. Proinde experimento compertum eſt naves illas cladem miſeriamque attuliſſe, nedum ſubſidio fuerint Civitati. Auxerunt quippe inaniter animos, cum roboris nihil attulerint. Erat in eis (1) Petrus Navarrus, qui maximam diſciplinæ militaris

ſcien-

(1) *Petrus Navarrus infima ſorte natus in Cantabria propria virtute ad ſupremos militia gradus aſcendit. Ferunt fuiſſe ab initio Aragenii Cardinalis pedeſtrem curſorem. Per aliquod tempus in mari ſtipendia fecit, poſtea in Italiam venit, & cum eum ſe*

scientiam, maximamque urbium expugnandarum, & defendendarum artem habere putabatur; nihil præterea militum quod exponi posset advexerat, qui cum in conspectum Octaviani venisset, comiter exceptum non infacete interogasse fertur, putaretne Gallorum Rex nunc tempora Rolandi esse, quando vir unus contra maximos exercitus proficisci consueverat, & fabulosis illis gestis victoriam reportare. Classis ipsa extra Portus fauces se continuit, conjunctaque est Aurianis triremibus. Nocte, quæ insecuta est, Navarrus naturam locorum, situmque Urbis interiorem diligentissime contemplans, animadvertit partem illam murorum, quæ tormentis ab hostibus petebatur, parvo negocio debilitari, frangique posse, & nisi ducto interius aggere obviam periculo iretur, non diutius machinarum vim, & contumeliam toleraturam; quod incommodum cum decubanti Octaviano indicasset, propterea quod temporis angustia prohibebantur quominus aggerem extruere possent, communi consilio statuerunt majori numero militum in ea parte disposito, locum illum diligentius quam cætera tueri. Quare Nicolao Fregosio, & Philippino Auriæ, viris impigerrimis, datum est negocium cum Cohortibus aliquot pro statione illa excubandi. Postridie cum nihil temporis inter-

mis-

se addidit Duci cuidam Florentino in Lunensibus bellis, in quibus bellica ejus virtus in omnium ore versabatur; Paulo post Consalvus, cui propter excellentiam Ducis Magni nomen inditum erat, copiarum suarum socium illum voluit, ejusque opera usus est in Regni Neapolitani adquisitione. Anno præsertim 1503. in expugnatione Neapolitanæ illius arcis, cui nomen ab ove est, Navarri virtus emicuit. Ibi omnium primus secretos, quibus nunc utimur, cuniculos excogitavit, licet nonnullis placeat inventi hujus gloriam Genuensibus dare. In fœdere Hispanorum, & Venetorum adversus Turcas, classis supremus Dux fuit. Anno 1509. Cardinalis Ximenius Toletanus Archiepiscopus Navarrum præfecit copiis, quas in Africam transmisit adversus Mauros. Auranum, Tripolim; aliasque urbes expugnavit. Damna tamen plurima perpessa est ejus classis in Girba insula. Reversum in Italiam adduxerunt Galli captivum in pugna Ravennatensi anni 1512. Hispanis parum cordi fuit illum in libertatem vindicare, neque e custodia eductus est ante, quam Regno potiretur Franciscus I. Ægre tulit ingrati animi vitium, & inurbanitatem gentis, cujus tam bene, atque utiliter negotia gesserat. Idcirco illectus comitate, & sponsionibus Francisci I. hujus partes amplexus est. Anno 1528. cum Neapolim deduxisset Comitem Lautretium, ibi captus est. Eum alii in carcere suffocatum narrant jussu Caroli V. Placet aliis timoris vi fuisse interemptum.

missum esset in concutiendis mœnibus, nihilque in ea re auxilii, aut consilii ii quibus negocium demandatum fuerat, reperissent; Sole jam ad vesperam declinante, pars illa muri, quæ inter Turrim mœnianam, & Michaelis Ædem intercedit, solo penitus est æquata. Paucis antea horis Octavianus cum abunde omnia a se præstita opinaretur, & fœderi, quo Regi obstrictus erat, & hominibus factionis suæ, cumque nihil auxilii ex Gallia expectaretur, quod opportuno tempore jam posset accedere, & Urbis incolumitati, & saluti Civium consulere decrevit; in eam si quidem rem potissimum animum intenderat uti ne Imperii sui gratia quippiam gravioris incommodi posset accidere. Rebus igitur suis propemodum jam diffidens, duos ex civibus ad Columnensem Legatos mittit, qui æquissimis conditionibus oblatis rogarent, uti ab Urbis oppugnatione desisteretur; nec satis id tutum fore opinatus, cum rem maturius considerasset, ad eosdem Legatos litteras dedit, quibus imperabat ut nisi acceptæ essent, quas a se tulerant conditiones, tum denique quacumque ratione possent, cum hoste transigerent, etiamsi omnino Civitas delenda esset. Cum alteri ex Legatis redditæ essent litteræ, illasque clam Collega suo legisset, nec in animum posset inducere, ut deditioni acquiesceret, conscissis illico litteris, nihil gravioris rei in illis contineri simulavit; quare accidit, ut spreti consilii, & authoritatis Octaviani Civitas ipsa pœnas persolveret. Diu enim antea Duces exercitus, quo militum animos ad expugnationem Urbis spe prædæ accenderent, paratioresque essent ad omnia pericula subeunda, Genuam ipsam militibus, ut capta esset, diripiendam concesserant, consciis ejus pactionis Antoniotto, & Hieronymo Adurnis fratribus; adjectæ condictiones ut mulierum pudicitiæ, Sacris Ædibus, & corporibus liberis parceretur; & forte Pescharia Marchio cum intellexisset tractatum de deditione Urbis apud Prosperum haberi, timens ut eo pacto direptionis conditiones irritæ caderent, sicque maxima præda quam jam spe milites devoraverant, frustrarentur, vehementissima oppugnatione illius consilia antevertere decrevit. Fuit enim in eo viro, etsi

ingens

ingens in re militari virtus, & audacia fere supra humanum modum, conjuncta tamen nimia in milites indulgentia; quare contigit, ut ejus potissimum auspiciis pleræque nobilissimæ Civitates & direptæ, & pene ad internecionem desolatæ fuerint. Excitati igitur milites spe direptionis Urbis ferme omnium opulentissimæ, & cum præcipue florentis, conjunctis animis, & viribus quo aditus patebat evolaverunt. Intercedit inter Civitatem, & Montem e regione positum parva vallis secundum murorum longitudinem, ad eam, quam diximus, Portam usque protensa; quo fit ut latere illius Orientali velut aggere munita Civitas arduum omnino, difficilemque ascensum ad muros præstet; nec ideo veriti sunt hostes præcipitem rupem ascendere & subire iniquissimum locum. Primi ad muros constiterunt Franciscus Salomon ex Neapoli Campaniæ, & Petrus Onophrius ex oppido Etruriæ, quod Montolium appellant; secuti deinceps Augustinus, & Bartholomeus e gente Spinula Genuenses, qui singuli singulis Italorum peditum Cohortibus præerant. Cœptum est inter muri ruinas cruentum prælium: his qui ab interiori parte stationem illam tuebantur, acerrime aliquandiu resistentibus; post ubi parvo spatio impetum hostium sustinuerant, complures Hispanorum Cohortes supervenere, quorum adventu loco moti se se fugæ mandarunt. Cœsis ab utraque parte compluribus, nemine jam resistente exercitus hostium irrumpit. Tum vero etsi ferebat animus ad prædam discurrere, ignari tamen regionum urbis, cum neque satis haberent compertum motum ne aliquem populares essent facturi, nequaquam interruptis ordinibus, omnes sub signis usque ad mœnia antiquæ urbis, Portam Vaccarum appellant, contendere, dubiique rerum suarum, paululum interdum progredi, paululum deinde consistere; semper autem undique circumspectare: ubi vero omnia satis tuta, quietaque viderunt, deposita penitus trepidatione, ad Prætorias Ædes pergunt contendere, ubi Octavianus ipse cum duodecim viris, quibus Reipublicæ cura demandata erat, de rebus communibus consultabat. pervenitur interim a militibus ad Prætorias Ædes, ubi Octavianus maximis, ut diximus,

mus, pedum doloribus affectus in lectulo decubabat. Cæterum audita hostium irruptione, firmatis quoad ipsius fieri potuit vestigiis, confestim in Prætorii plateam descendit, ibi a duobus lateribus videt aditus ad se oppugnari, qui ut cancellis ligneis consepti erant, nihil fere impediebant quin utriusque partis milites veluti in aperto manus consererent: tandem pauci qui pro platea steterant, & multitudine superati, & quod recenti elati victoria hostes acrius insisterent, qua cuique maxime commodum visum est, fugam arripuere.

Capta Area, nullo deinceps negocio Ædes ipsæ expugnantur, ibi Octavianus vivens in cubiculo captus ad Pescariæ Principis manus pervenit, qui hominem diligentissima custodia asservari jussum in eodem, quo captus fuerat, cubiculo dereliquit. Interea milites Portam Orientalem urbis, qua ad Feritorem amnem itur, ruderibus prius obstructam aperuerunt; patefactus-que est ab ea parte Germanis peditibus, Sole jam occidente, ingressus in Civitatem; ut qui in expugnanda urbe laboris, & periculi expertes fuerant, in direptione, prædaque participes essent. Cives porro cum jam cladem illam veluti ea, quæ cerni oculis solent, intuerentur; diversimode, prout cujusque animus fuerat, affecti erant. Clientes siquidem Adurnorum popularesque illorum factionis, nequaquam ex ea re tantum detrimenti se suscepturos opinabantur, quantum ex adventu Principum factionis suæ opis, & dignitatis consecuturos sperabant. Domi igitur se continentes omni aditu diligentissime obstructo, futurum putabant, ut aliorum fortunam quieti intuerentur; at qui adversæ erant partis, plerique preciosissimam supellectilem ad triremes exportarant, partim pro salute magis, quam pro re solliciti, certi jam se nihil obsistere posse, & ipsi domi abditi mæsti, silentesque fortunam Urbis, & eventum rerum præstolabantur. Primis se intendentibus tenebris milites ad prædam discurrere cœperunt. Habet Urbs Genuensis brevissimos, angustissimosque angiportus; nulla lata, nullá perpetua via est: ad hæc magnificæ domus sæpe quaternum, interdum quinum contignationum in miram altitudinem ten-

dunt.

dunt. Viæ ipsæ cum fluviali glarea, tum & coctili latere constratæ; postes ædium pleræque omnes ferreis inductæ laminis, ut facillimum fuerit vel ex fenestris immissis lapidibus, vel angustia illa viarum trabibus, & longuriis impedita, non solum vim, impetumque hostium sustinere, sed trucidare etiam inclusos, impeditosque, & de prædatoribus agere prædam. Tum vero omnia tumultu misceri cœpérunt; alia in parte maxima vi strepituque fores effringebantur; cumque in aliquas domos irrupissent, proximarum, finitimarumque ædium suffodiebant parietes, ut ea ratione tecti minori cum periculo in alias domos impetum facerent. Pars ipsorum interim abdita omnia scrutari, clausa, conseptaque effringere, cives ipsi trahi, vexari, postremo etiam crudelem in modum lacerari, atque torqueri: non ætati, non sexui, non denique parti alicui corporis parcebatur, ut saltem tormentis perterriti si quid occultum, abditumve haberent, patefacerent. Ad hæc horrendæ Germanorum voces, aspectus, feritasque barbara, clamor, fragorque undique exauditus, nox ipsa, & tenebræ, terribiliora omnia magisque timenda faciebant. Inter hæc, veluti iratis Numinibus, repente ex maxima serenitate Cœlum nubibus obductum est, secutaque vis imbrium maxima, immenso tonitruum strepitu, & fragore, tum creberrima fulgura incidentia in trepidantium oculos terrorem, trepidationemque omnium augebant. Nulla pars maximæ urbis clade hac, calamitateque vacua fuit; qua ex re multitudo hostium potuit cognosci. In amplissima namque urbe nulla ferme ædes, atque adeo nulla vilis domuncula fuit, in quam non seni denique, alicubi etiam viceni impetum fecerint. Cum vero ad eam urbis partem, quam populares Sergianum vocant, milites pervenissent, qui locus frequentissime habitatur, plurimumque artificibus, & infima plebe, ut singulas domos pluribus cænaculis suspensas diversæ interdum familiæ habitent; tum vero numerosa illa plebs excitata, quod manuum mercede inopiam tolerans, copias omnes in usu quotidiano, & cultu corporis haberet, futurumque prospiceret, ut modica illa, domesticaque supellectile direpta nihil reliquum sibi fie-

ret

ret præter miseram animam; repente in ferrum ruere cœperunt, & phalange facta in prædatores ferri: quod, nisi majoris authoritatis cives obstitissent, non omnino absque eventu fuisset illorum motus. Verumtamen rem altius considerantes optimatum plerique summopere verebantur, ut ejusmodi contumelia irritati milites ignem supponerent edificiis, proinde incendiis, & demum cædibus omnia complerentur. Erant & qui timerent ne excitato tumultu Regii milites, qui frequentes ad arcem aufugerant, conjuncti factioni Fregosiorum repente in turbatos milites impetum facerent, popularibusque ferrent auxilium; quare tantum, nunc minis, nunc precibus, & obtestationibus valuerunt ut concitata plebs ab armis discesserit, licitumque fuerit militibus deinceps in quacumque partem animus ferebat impetum facere. Civitatis porro Genuensis ea opulentia est, ut nulli non Italiæ tantum, sed totius orbis splendore & magnificentia sit secunda: cum enim mercaturæ terra, marique intensissime operam dent plebei juxta atque Patricii, nemo fere ipsorum est, qui, modo id caute, & diligenter agere curet, brevi ad maximam opulentiam non perveniat. Colendis vero agris, ob locorum asperitatem, sterilitatemque soli, minime sunt intenti; quo fit ut maxime illorum opes in domestica supellectili, in pecuniis, in corporis vestitu atque cultu urbi, nanis, suburbanisque ædificiis sint collocatæ, pluraque ad divitiarum ostentationem quam ad usus necessarios comparata. Nemo enim est mediocri fortuna civis, atqe adeo cujuscumque generis artifex, qui copiosa argentea supellectili non utatur. Pudor est referre quid facti argenti, quid sericarum vestium nobis se amisisse retulerint quidam etiam infra mediocrem fortunam opifices. Qua ex re facillimum est conjecturam facere quid auri, & gemmarum, quid preciosæ vestis, quid porro nummum apud principes, opulentissimosque cives reperiri potuerit. Auxerat ea omnia longissimi temporis pax, &, quod plerumque evenit in otio & tranquillitate vitam degentibus, diuturna felicitas omnia cumulaverat. Ad hæc preciosarum mercium tabernæ, & eorum præcipue qui serico, lanave operaban-

rabantur, cujusvis opinionem facile superabant, quæ omnia primò impetu direpta ita militum præda replevere, ut præter aurum, argentum & gemmas cætera omnia pene haberentur contemptui. Fuere ex Civibus complures, qui se, familiam, resque domesticas ingenti pecuniarum summa redemerint; alii qui de redemptione statutis locis, temporibusque facienda hostibus obsides dederunt. A muliebri pudicitia, cædibusque temperatum est; nisi tamen pauci inter tot strepitus, & tumultus periere. Auxit vero incommodum, quod non unum genus prædantum fuit, sed præter victores milites, victi etiam, qui se se ex fuga in abdita loca recepe- rant, audita fama direptionis, mutatis statim insignibus, prædantibus se miscuere. Præterea ex humili plebe quam plurimi, qui quod domi nihil quod servarent habebant, in opulentiores domos impetum fecerunt; quæ res longe maximam Civitati perniciem attulit. Cum enim victores ipsi preciosissima quæquæ diripuissent, & quorum usus magis in splendoris ostentatione constiterat quam in commoditate, postremi hi nihil pene pauperibus etiam, & sui similibus reliquum fecerunt. Subjecta fuit Civitas direptioni ab occasu Solis ad alterum occasum, quæ calamitas incidit in Annum vigesimum secundum supra millesimum, & quingentesimum a partu Virginis, tertio Calendas Julii. Prænunciaverunt illam paulo antea prodigia aliquot a paucis observata tum cum acciderunt. Turris namque Laurentianæ Ædis, quæ principem locum inter ceteras obtinet, de cœlo tacta est; renunciatumque Octaviano in Apennini jugis rubra nive ninxisse, quæ magnum loci spatium occupasset. Id vero prodigium cum majus videretur quam cui de facili fides esset adhibenda, missis certis, qui verum nuncium ad se referrent, rem ita se habere, ut acceperat, cum & ego adessem, intellexit: nec superficies solum sanguinei coloris erat, sed egesta altius nive usque ad terræ solum pertingere visa est. Cæterum sub solis occasum edicto Ducis milites exire jussi, præcepto paruerunt: pauci amore prædæ adducti cum dicto audientes non fuissent, proindeque a rapinis non omnino cessaretur, Hieronymus Adurnus adhibitis militibus

ad custodiam corporis sui, lustrataque confestim urbe, cum Hispanis quibusdam adhuc in direptione perseverantibus de improviso supervenisset, laqueo gulam confringi jussit: quo metu cæteri omnes a maleficio temperarunt. Remansit post hæc facies ipsa Civitatis dies aliquot fœda atque horribilis; tabernæ omnes confractis postibus, partim etiam dejecto muro direptæ, & devastatæ; privatarum ædium fores arietibus, ferreisque malleis labefactatæ, atque convulsæ; binæ præterea, altera gentis Nigrorum ad Ædem Divi Laurentii, Cataneorum altera in area ejusdem gentis, magis ut vulgo creditum est inhabitantium culpa, quam militum, incendio sunt absumptæ. Conversi deinde Principes ad statum Civitatis ordinandum, egresso jam milite, Octavianum mulo impositum, observatumque a compluribus, ad Cartusianas Ædes quæ secundo lapide ab Urbe distant, captivum duxerunt, facto tamen prius per Urbem longiore circuitu, quam ratio itineris postularet. Id vero factum alii putarunt ut ostentui esset popularibus, quos tantam cladem illius culpa incurrisse opinari volebant; plures, ut undique vastatam, direptamque urbem, quam tantopere diligebat, perspicere coactus, dolorem ex ea re quam maximum capere cogeretur: quæ res victoribus ipsis non invidiæ tantum, sed ignominiæ etiam maximæ futura videbatur; tum quod superbe nimis, & insolenter victoria viderentur abuti, tum præcipue quod nemini dubium erat Adurnis magis, quam Octaviano cladem illa acceptam referri oportere; quod vulgo etiam cognitum esset, quo tempore inita fuere consilia diripiendæ urbis, Adurnos ipsos non solum præsentes assentientesque fuisse, sed utrosque fratres tulisse æquo animo, ut redactis in scriptis direptionis conditionibus nomen ipsorum ascriberetur: Deinde etiam si qui cives pactione se a militum injuriis redemerunt, quod nemini dubium esset ejusmodi pacta observari non debere, coacti sunt tamen ab ipsis Adurnis quod se facturos recepissent omnino præstare. Augebat præterea invidiam recens apud omnes memoria benignitatis, qua Octavianus ipse in Hieronymum Adurnum usus fuerat. Cum e-

nim

nim paucis ante annis, positis insidiis in Prætorias Ædes noctu impetum facere tentasset, repentino tumultu excitatus Octavianus, non inermis solum, sed pene nudus & hostilem impetum fortissime reppulit, & Hieronymum ipsum captivum duxit, quem apud se honorifice habitum paucis postea diebus liberum abire permisit. Cæterum absumptis diebus duobus in recuperanda urbis facie, tertio demum, jussu Senatus cives ad consilium sunt vocati, inter quos honoratissimum locum Antoniottus, & Hieronymus Adurni fratres tenuerunt. Intromissisque in Senatum Prospero Columna universi exercitus Imperatore, Francisco Sforcia Duce Mediolani, & Ferdinando Piscariæ Principe, pauca de se ipso, & de ratione administrati belli Columnensis disseruit, numquam se eo consilio illuc profectum dicens, ut Urbi splendidissimæ cladem aliquam, ignominiamve afferret, cum persuasum habuisset Octavianum, Caroli Imperatoris voluntate intellecta, cognitoque robore, & rebus gestis ejus invicti exercitus, præterea rerum suarum imbecillitate circumspecta, prudenter rebus suis consulturum, cum jam rebus Gallicis satis fidei præstitisset: illius potissimum pertinaciæ hanc calamitatem, ejus factioni, quicquid ignominiæ, damnique Civitas subisset, acceptum esse referendum; multum se tribuisse & benevolentiæ, qua Octavianum antea prosecutus fuisset, & amori, quo tunc etiam Civitatem prosequeretur: principio Nuncios pro deditione facienda ad Civitatem destinasse, quos ipsi contra omnium gentium jura retentos in catenas conjecissent; se tamen ne tum quidem pro rei indignitate, & maxima injuria irritatum, viros Deo dicatos complurium Ordinum ad urbem misisse, qui Octaviano, & civibus persuadere niterentur, uti saniora consilia sequi vellent; postremo cum benignitatem, modestiamque suam ludibrio esse cognosceret, quominus vis adhiberetur, fieri nequisse; satis etiam Genuenses ipsos intelligere, quantum ex re Imperatoris fuerit Gallicam factionem Genua expelli, quæ hactenus pene universam Italiam non dominatione solum, sed misera etiam servitute depressisset; proinde quod reliquum foret, Carolum Imperatorem cladem hanc Genuensium paribus, vel certe longe majoribus commodis compensaturum: quod vero ad se attineret, nihil animo suo carius esse Genuensium benevolentia, idque adeo deinceps

illis experiri in promptu esse: quidquid opibus, gratia & bello posset, pro animi voluntate sumerent, atque uterentur; superaturum se officiis in Rempublicam Genuensium omnium opinionem. His Franciscus Sforcia pauca in eandem pene sententiam subjecit, unum addens, uti paterno Regno nuper a se recuperato libere uterentur, persuasumque haberent ex duabus civitatibus unam esse factam. Rogatus deinde Piscariensis nec verbum quidem facere dignatus est; illis vero cum quidam ex civibus Senatus præcepto accurate eleganterque respondisset, ex consilio est discessum. Principes ipsi paulo post profecti ad Ædes Laurentianas vas illud admirandum conspexerunt, quod secundioribus rebus suis, maxima adepta victoria, ex Syria Genuenses advexerant. Cum enim pro recuperandis Hierosolymis, atque adeo ipsa Syria, quæ plures jam annos a Saracenis occupabatur, septuaginta instructissimis triremibus Balduino Regi opem tulissent, vi demum expugnata, direptaque Cæsarea Palestinæ urbe maritima, quam a se instauratam Herodes Rex in honorem Augusti Cæsaris Cæsaream appellarat, Templo etiam ad portus fauces ejus nomini dicato, vas illud ex eo ipso Templo in partem prædæ Genuenses acceperunt, quod ex unica Smaragdina gemma sexangulari excavatum ita omnium judicio pretiosum æstimatur, ut facile tamen omne pretium superare periti rerum ejus generis affirmare non dubitent. Non enim ex gemma tantum est pretiosissimi generis, sed viriditate etiam, & splendore omnes in eo genere, quotquot ei comparari potuerunt, longissimo præstat intervallo; tantæ præterea magnitudinis, ut vix trium palmorum linea circumdari queat. Quod integrum tamen, ut jam diximus, adjecta etiam in inferiori sui parte rotunda basi, & duabus hinc inde ansis unica tantum gemma sculptum, fabrefactumque cernitur. Hoc cum diu spectatum Principes admodum admirati essent, die quæ insecuta est, Genua concessere, urbe ut bonis omnibus spoliata, sic in populi manibus, quod ipsi ajebant, pristinæ libertati restituta. Jussu demum Senatus advocato consilio, cives festinatissimis suffragiis Antoniottum Adurnum Ducem creavere, cujus ætati ab Hieronymo fratre modestissime est concessum.

GRE-

211

GREGORII CORTESII

TRACTATUS

ADVERSUS NEGANTEM

B. PETRUM APOSTOLUM FUISSE ROMÆ.



GREGORII CORTESII

IN TRACTATUM (*a*)

DE ITINERE ROMANO S. PETRI

AD ADRIANUM VI.

PONT. MAX. (*b*)

PRÆFATIO.

E*TSI mundum, quæque in eo sunt universa maximo consilio, providentiaque divinitatis regi, & administrari, jam fere universo hominum generi persuasum est, id ipsum tamen præcipue in Republica Christiana tam certum esse videtur, tamque expressum, quam ea, quæ sensibus, experimentove* per-

(*a*) Tractatum hunc, quem ad falsissimas Udalrici Velenii Lutherani hominis persuasiones penitus evertendas, profligandasque conscripsit Cortesius, hic addimus. Prodierat jam Venetiis Typis Francisci de Franciscis Senensis ad calcem Latinarum ejusdem Epistolarum. Ea editio typographicis mendis adeo scatet, adeo manca est, atque imperfecta, ut idem opus nuperrime anno MDCCLXX. in hominum lucem celebritatemque venisse jure, meritoque dici possit studio, ac labore cl. Vincentii Alexandri Constantii, qui illud Romæ typis Generosi Salomonii evulgavit, atque inscripsit *de Romano itinere*, *gestisque Principis Apostolorum*. Ex Vaticanæ Bibliothecæ Codice 3552. diligenter, accurateque illud descripsit, atque eruditissimis notis historico-criticis auxit. Textum, qualem Constantius protulit, transcribimus, notas fere omnes omittimus. Ornamenti plurimum (fatemur quidem ingenue) nostræ huic editioni accessisset, si notas etiam clarissimi auctoris ex integro apponere placuisset, sed cum nobis propositum sit ea solum nunc in lucem proferre, quæ propius ad Gregorium Cortesium spectant, notasque hujusmodi doctissimas a proposito nostro alienas esse nemo non videat, veniam dabit, ut confidimus, humanissimus, & clarissimus Constantius, si disquisitionibus criticis omissis, breviores dumtaxat ejusdem notas apponimus, neque ex integro ejus labores in usum nostrum convertimus.

(*b*) Adriani VI. Vitam a Paulo Jovio Epis-

percipi consueverunt. Ut enim miranda illa omittam, quibus historiæ omnes jam inde a Christi obitu sunt refertæ, ex quibus manifestis conjecturis assequi possumus ex horrenda tempestate irruentibusque procellis, solo divinitatis gubernaculo Petri navem sæpius & receptam, & conservatam; illud certe divinitus procuratum fuisse, neminem adeo profanum fore arbitror, ut negare audeat, qualia scilicet pericula fuerint, quantique labores Reipublicæ Christianæ, sic etiam tales tantosque propugnatores extitisse. Si enim initio nascentis Ecclesiæ non defuerunt, qui adversus Nerones, Domitianos, Decios, Diocletianosque cum animi robore, tum etiam proprio sanguine decertarent; pace demum a Tirannis undique parta, cum in ipso sinu reipublicæ perniciosa dogmatum dissidia quotidie orirentur, adversus Arium, Manichæum, Eunomium, cæterasque ejusmodi pestes, Didimus, Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Augustinus, & plerique alii doctrina, & sanctitate excellentes, Dei Optimi Max. beneficio sunt concessi. Jam vero quis non videt, miseris illis temporibus, quibus Italiam omnino Longobardorum furor, impetusque devastabat, prius Benedictum apud Casinum montem, deinde vero Romæ Gregorium summa divinitatis providentia in solatium tantæ calamitatis repente, velut e cœlo delapsos esse? Et in Gregorio quidem ea magnitudo animi, ea vis consilii viguit, ut cum vitam ejus, moresque considero, intueri mihi videar par illud pulcherrime compositum, fortem scilicet virum cum adversa fortuna decertantem. Ab eo vero tempore cum jam Reges ex hostibus servi Christi effecti essent, nec in dogmatum veritate

ulla


Episcopo Novocomensi illius ætatis historico conscriptam, Florentiæ edidit Petrus Victorius an. 1548. Natus Adrianus Trajecti insigni inferioris Germaniæ urbe ad Belgicum Oceanum, postridie Kal. Martii 1459. patre Florentio de Florentiis viro animi probitate, & civili industria potius, quam honestis opibus insigni, & Kalend. Julii an. 1517. Caroli V. Cæsaris, cui præceptor contigit, precibus in sacrum Cardinalium ordinem a Leone X. Pont. Max. cooptatus, dum Hispaniarum regnis ejusdem Caroli regis authoritate præesset, tam longe absens & nil tale cogitans, Romæ die IX. Januarii anni 1522. in demortui Leonis locum ab amplissimis Collegis, quibus ne de facie quidem erat cognitus, Reipublicæ Christianæ Pontifex electus est. Tantæ rei nuncio, Victoriam Vellicam Cantabriæ urbem ad Adrianum perlato, nomen mutare noluit, statimque Romano itineri sese committens, per Derthusiam, in qua civitate fuerat Episcopus, Tarraconem ad mare profectus, Genuam lenissimis tempestatibus pervenit; ubi quum triduo substitisset, librum hunc adversus Udalricum Velenium Lutheranum negantem B. Petrum Apostolum Romæ fuisse a Cortesio nostro, qui tunc Genuæ commorabatur, nuperrime hortatu amicorum conscriptum, benigne excepit. Ab Genua per Delphini, Liburni Pisani, Centumcellarum, Ostiæque portus ad Urbem advectus; die quarto Kalendas Septembria ejusdem anni 1522. a D. Pauli templo extra portam Trigeminam ad Vaticanas ædes solemni pompa deductus est. In quibus ædibus vix anno exacto, decessit XVIII. Kal. Octobris 1523. Corpus ejus temporario primum tumulo conditum in Basilica D. Petri juxta Pios Piccolomineæ familiæ Pontifices, postea in templum Deiparæ Virginis Germanorum ad Circum Flaminium translatum fuit in marmoreo monumento, quod optimo Pontifici *Wilhelmus Enckenvoirt illius benignitate, & auspiciis tit. S. Jo. & Pauli Presb. Card. Dertusen. faciundum curavit*; quemadmodum in inscriptione eidem monumento adposita legitur. Vixit ann. LXIII. Mens. VI. d. XIII.

ulla amplius esset controversia, ut pleraque mortalium se habere consueverunt, diuturnum otium & tranquillitatem morum corruptio, & vitæ luxuria sunt consequuta. Quæ mala tamquam animarum caligines, ut facilius dissipari possent, Dominicus, & Franciscus repente exorti, veluti duo soles, universum orbem adventu suo exhilararunt. Jam vero nostris hisce temporibus, cum omnia calamitatum genera, velut repentino terræ fœtu de improviso simul eruperint, in eam rerum omnium non difficultatem modo, sed pene etiam desperationem perventum est, ut omnibus Reipublicæ membris pessime affectis, idoneum satis remedium non adhiberi modo, sed nec excogitari quidem posse videatur. Rempublicam Christianam oppugnat violentissimus hostis, & post Macedonas, Romanosque, omnium, qui aliquando fuerunt, rex maximus atque potentissimus. At vero longe sævior, perniciosiorque pestis adhæret visceribus: crudelius namque inter se bellum Christiani reges gerunt, quam a Turcarum Imperatore ipsis Christianis inferatur. Pestifera insuper contagione & inopia ita fere in universa Europa laborari scimus, ut pene altera pestis alterius solatium futura videatur. Nuper vero pulcherrimam Boeticæ partem prius terræ motu concussam, deinde repentino terræ hiatu absorptam, nemo fere est, qui non audierit. Qui mores autem sint omnium ordinum, quæ in Deum pietas, quæ religio, non minus dolore, quam verecundia, ne dicam absterreor. Nam, ut fidem attingam, nemo est, qui nesciat, quam perniciosa dogmata, quam nefariæ in sacris ritibus opiniones nuper emerserint, ut ausi etiam fuerint quidam, Petrum ipsum a Romano Pontificatu deturbare. Inter tot clades, & ærumnas, tibi potissimum, Hadriane Sexte Pontifex Maxime, Christianum orbem administrandum communi suffragio Patres concesserunt: & ea quidem ratione, ut nemo tam vehemens hostis providentiæ existat, qui id divino factum consilio audeat denegare. Ignarus si quidem, & in extremis orbis partibus agens, ad supremum dignitatis fastigium es evectus, quam tibi potissimum illi commiserunt, quibus liberum erat præsentem, & ex se ipsis Pontificem creare, cum, ne nomine dicam, certe fere nemo esset, qui te de facie cognosceret. Quid vero ex mira hac electione statim omnes sperare cœperint, ita vulgo jactatum est, ut citra notam assentationis, quæ tam ob auribus tuis, quam ab instituto nostro abesse debet, litteris commendari possit. Pollicentur siquidem sibi de te omnes animi magnitudinem, vitæ innocentiam, providentiam in administrandis, in constituendis vero rebus solertiam, pacem postremo illam Augustam. Quantum denique assequi poterimus, si Deum Opt. Max., in cujus vi & potestate regum imperatorumque animi sunt, humano generi prius conciliaveris. Nec id quidem dico, ut te admoneam, qui hactenus munus tuum tam præclare obiisti, quam mirifice tibi antea commissum fuit; sed ut ope divinitatis nostra quoque ętate par tantis ęrumnis pręsidium concessum esse, aliorum temporum exemplo sperare non dubitemus. Cum vero multa sint, & infinita, in quibus tibi elaborandum esse video, illud potissimum dignum arbitror, in quo nervos omnes intendas & animi, & ingenii tui, ut nova perniciosaque dogmata, quibus perpetuam Christi vestem quidam lacerare nituntur, a Christiano orbe consilio auctoritateque penitus extermines. Qua in

re

re cum viderem quosdam arcem ipsam, caputque totius Religionis Christianæ tormentis machinisque oppugnare, eo potissimum, ut opinor, consilio, ut penitus abrogata Romani Pontificis auctoritate, reliqua corporis pars trunca capite, inanis, penitusque inutilis abjiceretur, nisus sum pro virili huic ulceri pessimo, & jam diutius serpere incipienti salubre medicamentum apponere: non quin illa suprema Romani Pontificis majestas, & vi sua, quę ope divinitatis innititur, & omnium gentium opinione satis firma persisteret, sed quod plerique sacrarum litterarum ignari, commentitiis fabulis decipi posse videbantur. Id vero mihi pręcipue illustrandum esse proprio quodam jure sum opinatus, quod ab ipsa juventute in Casinatem familiam nomen dederim, quę a Romanis primum Pontificibus plantata, eisdem secundum Deum robur, incrementumque pręstantibus, in eam divinorum, atque humanorum amplitudinem crevit, ut merito de referenda gratia, quoad ipsius fieri possit, debeat cogitare. Tuę igitur censurę opus subjicio, quod nuper adversus eum scripsi, qui primus negare ausus est, Petrum Apostolum non modo Romanum Pontificem fuisse, sed omnino in ea Urbe decessisse, quam aliquando videre non potuerit. Etsi suspicionem mihi injiciebat, non tam ex animo id eum fecisse, quodque ipsi ita persuasum foret, quam ut tali facinore nomen, & famam apud posteros proderet. Consilium siquidem animumque suum visus est ipsemet declarasse, cum fronti operis vulgata illa carmina inscripsit

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquid: probitas laudatur & alget. *Vale.*



GRE-



GREGORII CORTESII
DE ROMANO ITINERE
DIVI PETRI
LIBER PRIMUS.

CUM me sæpius complures maxima pietate, & ingenio viri hortati essent, ut in novo hoc Theologiam profitendi genere, quo jam constituti ritus, receptæ cæremoniæ, fundatæ stabilitæque consuetudines velut quibusdam machinis adhibitis frangi, debilitarique videntur, judicium meum interponerem, multis gravissimisque de caussis, diutius id facere renui. Quamquam enim me omnino imparem tanto oneri fore non ambigebam, duplici præterea ratione non tutum modo, sed honestissimum etiam silentium nostrum fore arbitrabar. Ea siquidem quæ hactenus disputata fuere, partim ejusmodi sunt, ut utrinque sacrarum litterarum auctoritati inniti videantur, ut nec diligentissime intuenti facile sit in alterutram partem judicium: quæ etsi secus nemini persuaderi debent, ac passim institutis moribusque Ecclesiæ sunt recepta, non tamen, qui alterutrum defendere velit ex sacris litteris, certum omnino judicium proferre potest: partim vero ejusmodi (sunt), ut magis consuetudine ritibusque, quam divinis libris, aut exemplis Apostolorum inniti videantur. Quæ cum cognoscerem non magis ambigua, quam difficilia explicatu, honestius mihi videbatur, quod nesciebam fateri nescire, quam temere arroganterque in gravissimis rebus judicium meum interponere. Præsertim cum mihi semper persuasum fuerit, quantumlibet privatim complures disputent, & diutius easdem quæstiones conterant, numquam tamen futurum, ut hoc attritu flamma veritatis eluceat: sed ita demum controversias omnes auferri posse, si (quod alias sæpe factum est) communi Patrum omnium totius orbis Christiani decreto, de his omnibus statutum

fuerit. Nemo enim est, qui ambigat, jure indictis habitisque conventibus pro fidei pietate, non pro contentione summi sacerdotii (quod postremis fere omnibus Conciliis factum est) Rempublicam Christianam institutis, legibus, placitis, auctam, ornatam, stabilitamque fuisse. Illud quoque magnopere ut silerem hortabatur, quod inter eos, qui hactenus hæc tractarunt, non tam exemplis, rationibusque actum est, quam conviciis, & maledictis: nec Christiana pietate, sed (quod quidam dixit) canina facundia: ut mihi in animum induxisse videantur, ita demum se victores in causa futuros, si in maledicendo fuissent. Nec jurgiis modo, sed quod dictu quoque nefas est, in gravissimis rebus, jocis & scommatis libros referserunt. Enimvero, qui veritatis indagandæ studio scribunt, mites modestosque seipsos exhibent Christi exemplo, qui cum ipsa esset veritas, in se ipso quoque mansuetudinem prædicavit, tantumque absuit, ut ultro maledixerit, ut etiam, quod Petrus ait, maledicenti non minaretur. Simus enim ita affecti oportet, ut nec inferre injuriam velimus, nec si acceperimus, referre. Jam vero si sanctissimos, doctissimosque viros enumerare velim, qui cum adversus apertos fidei hostes scriberent, a Christiana tamen modestia non recesserunt; illis, opinor, mirum videbitur, qui remotis jurgiis, & obtrectationibus, ipsum verum nec satis recte inquiri, nec facile inveniri posse arbitrantur. Scribunt Origenes in Celsum; Eusebius in Porphyrium; Basilius, Nazianzenus in Julianum, quem Græci (a) παραβάτην vocant. At quos hostes, quam acres, quam impios bone Deus! Arguunt illi quidem insaniam, furorem opposita ratione, veluti quibusdam catenis injectis compescere nituntur, hostem denique appellant, ea tamen ratione, ut non stomacho indulgere, sed pietatis rationem habere videantur. Nec tamen adversus eos scribebant, qui diverso sensu, atque cæteri quippiam in sacris litteris interpretarentur, aut qui divinos libros impietati suæ patrocinari vellent, sed eos, qui tamquam furiis exagitati, aris, templis, universæque reipublicæ Christianæ bellum indixerant. Paullo fortasse vehementior Nazianzenus cuipiam in Julianum videatur; verumtamen in tam impio hoste, tamque doloso, nihil erat, quod levius dici posse videretur: qui non tormentis aut armis, sed dolis, insidiis, & astu viros innocentissimos persequebatur. Cum vero contra Eunomianos scriberet, qui se Christianos dici volebant, tum (b) σπλάγχνοις πατρικοῖς moveri se contestatur, deinde etiam (c) φίλους καὶ ἀδελφοὺς nominat. Quid? nonne Basilius in eundem Eunomium tantum abest, ut contumeliis utatur, ut festivis etiam interrogationibus urgeat (d) τίς καὶ τοῦ μύρμηκος φύσις. Sic Basilii frater Gregorius in Apollinarium, in Eunomium, in Manichæum; Tertullianus adversus Valentinianum, & omnes hære-

(a) Prævaricatorem, vulgo apostatam.
(b) Visceribus paternis.
(c) Amicos, & Fratres.
(d) Quænam Formicæ natura.

hæreſes ; Auguſtinus in Manichæos, in Donatiſtas ; in Eutychen Leo ; adverſus alios alii ; longum eſt enim omnes enumerare. Sciebant enim, facile pro maledictis maledicta referri, ſed ratione pugnare, id vero longe eſſe difficillimum. Quare non defuerunt, qui non ſatis probarent Hieronymi in Ruffinum, rurſuſque Ruffini in Hieronymum actiones, quod alienum quippiam a Chriſtiano more habere viderentur. Auguſtinus certe cum ipſos ad pacem revocat, ne ea aſpergant obteſtatur, quæ deinceps delere non poterunt.

Cum igitur diutius in eadem opinione perſtitiſſem, detulit ad me Ottobonus Fliſcus libellum, qui Petrum non modo non Romæ mortuum, ſed nec aliquando Romam vidiſſe affirmat (*a*). Quo lecto cum dixiſſem (quoniam in capita diviſus eſt, quæ author *perſuaſiones* appellat), id ipſum nequaquam mihi illis perſuaſionibus perſuaderi ; rogarunt me complures amici, potiſſimumque is, qui librum attulit & ſtudio ſacrarum litterarum oblectatur, ut quid ita ſentirem ſcribere non gravarer. Quod quidem omnino facere renui, timens ſcilicet ne huic aſſertioni, ut puto, veriſſimæ, pro rationibus jurgia, pro teſtibus maledicta rependerentur. Quod ego viciſſim facere, ut fortaſſe poſſim ſi velim, certe non velim etiamſi poſſim, cum id tam a moribus meis, quam ab inſtituto ſit alienum. Verumtamen cum illi inſtarent, egoque ſæpius quidnam id operis eſſet, perſcrutarer, caſu incidi in hæc verba. *Candidum lectorem admoneo, ne protinus ipſo libri titulo offendatur, & rurſus conſcientiam meam obteſtor, nullas hic fraudes, nulla mendacia, nec dolos me intrudere voluiſſe.* Tum vero intra memetipſum cogitare cœpi, eum qui candorem ab aliis expoſce-

 ret,

(*a*) Peſtiferi hujus libelli, quem ſtatim Corteſius noſter ſibi confutandum ſuſcepit, author fuit Udalricus Velenus homo hæreticus. Hic impio atque inſano adverſus Romani Pontificis authoritatem furore abreptus, quemadmodum Lutheri diſcipulum decebat, ut ſcilicet petra, qua ſuper Eccleſia ædificata eſt, funditus, ſi valeret, everſa, ædificium quoque deſtrueret univerſum, quum D. Petri Primatum ægre nimis falſum a Magiſtro ſuiſque aſſeclis ſuaderi poſſe animadverteret, eo tandem devenit, ut Romanum Principis Apoſtolorum Epiſcopatum ; quin vel ipſum Romam verſus ejuſdem iter, commentitium evincere, & omnino fabuloſum contenderit, quamquam nihil in tota Eccleſiaſtica hiſtoria illuſtrius, nihil certius, nihil antiquius atque teſtatius eſſe videatur. Petro Veleni libellus in duas partes diſtribuitur, in quarum prima decem & octo *perſuaſionibus* Sanctum Petrum nunquam Romæ fuiſſe, ſed Jeroſolymis martyrii palmam adeptum eſſe, evincere ſtudet ; in altera vero Catholicorum argumentis (*cavillos* hæreticus appellat) ſatisfacere contendit. Falſiſſimas haſce *perſuaſiones*, etſi poſtea ambabus ulnis amplexi ſint omnes fere recentiorum hæreſium ſectatores, nullum tamen adverſus Romanum Divi Petri iter argumentum protulerunt, quod ex Veleni opuſculo depromptum non ſit, quod etiam obſervavit Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. adeo ut inſtituta hæc ejuſdem opuſculi a Corteſio noſtro ſatis diligens, & accurata confutatio, ad evertendas quoque Calvini, Functii, Balei, Oſiandri, Otii, Illyrici, Salmaſii, Spanhemii, Langii, cæterorumque novatorum oppoſitiones comparata eſſe videatur.

ret, vicissim quoque se candidum exhibiturum: dixique, contra aliorum opinionem non rationibus, sed jurgiis & maledictis pugnare, non candidi est, non ingenui, non docti, sed ineruditi, petulantis, invidi, & ejus, qui bellum indixerit veritati. Porro rationibus miscere contumelias, perinde est, ac si purissimæ lutulentam aquam miscueris, quo fit ut utraque lutulenta evadat. Cum igitur ab eo ipso, qui illa conscripsit, candoris ac conscientiæ pignus haberem, subito mutata voluntate ad scribendum accessi, quod mihi visus sum non dubiam, sed illustrem, non difficilem, sed perspicuam causam habere. Accedit etiam quod nihil mihi gratius, nihil jucundius accidere potest, quam in sacrarum litterarum studiis cum exercitatis hominibus assidua exercitatio. Sic enim facile quod verum est inveniri potest, præsertim si, ut nunc fore confido, nihil aliud quam veritas, immo Deus ipse quæratur, quem ipsam veritatem esse ex sacris litteris didicimus. At vero Lectores admonitos velim, me nihil de Pontificis Romani auctoritate, nihil de donatione Constantini, nihil de Petri inter cæteros Apostolos loco disputaturum: non quin id copiose facere queam, præsertim cum nihil sit hoc tempore clarorum virorum ingenio tritum, elaboratumque magis; sed eo potissimum consilio, quod cum ea proprium opus desiderent, nunc id tantum, quod nuper in eo libello in controversiam vocatum est, *fueritne aliquando Romæ Petrus*, accepimus discutiendum. Prior vero ante Persuasorem in hac opinione fuisse videtur celebris ille impietate Marsilius Patavinus, qui in Ludovici Bavari gratiam a Joanne XXII. diris execrationibusque ab Imperio dejecti, opus edidit contra Romanos Pontifices, quod etsi belli maximi seminarium, ipse tamen *pacis defensorem* appellavit (*a*). Quare id solum quærimus, po-

(*a*) De Ludovico Bavaro, deque Joannis XXII. in eum execrationibus, vide quæ habentur apud Raynaldum in Annalib. Eccl. tom. v. ad an. 1327. Libet autem Marsilii Patavini a Cortesio nostro supra citatus, servatur MS. in Biblioth. Vatic. n. 3974. meritoque in tenebris, quibus ob Pontificiam proscriptionem dignissimus erat, adhuc delitesceret, nisi illum Lutheranæ impietatis asseclæ sæc. xvi. in lucem edidissent. Confutavit tunc impias Marsilii opiniones, atque hæreses a Novatoribus ambabus ulnis amplexas atque ab inferis excitatas celeberrimus Catholicæ veritatis assertor Albertus Pighius lib. v. *Hierarch. Ecclesiast.* ubi cap. 1. de eodem Marsilio Patavino, deque ejusdem nefariis scriptis hæc habet: *Nemo diligentius, vehementius, aut etiam copiosius causam sæcularis potestatis adversus Ecclesiasticam egisse legitur, quam plane subvertere, & in nihilum redigere conatus est. Scripsit is ante annos ducentos ad Ludovicum Bavarum temporibus Joannis XXII. a quo ille excommunicationis vinculo innodatus fuerat, ex contumace hæreticum facere satagens, velut Apologiam quamdam adversus auctoritatem Pontificiam, cui de*fensoris pacis *titulum fecit, eum eamdem omni studio eliminet ab Ecclesia. Fuit homo Aristotelicus magis quam Christianus, atque ex illius magis quam Christi institutis novam Ecclesiasticæ hierarchiæ formam conatus effingere, quamvis sacras litteras, & sanctorum Patrum sententias, sed suo more intellectas, sine fine & modo congerat, veritatique confidentissime objiciat, ubique seipsum victorem pronuntians, sed ante victoriam; tam amarus, tam virulentus in Romanos Pontifices, ut merito dubitares, nisi tempora disjungerent, hic ne a Luthero, an Lu-*

potueritne Petrus Romam aliquando proficisci, ut ex ejusmodi profectione nihil contrarium, nihil pugnans iis, quæ in sacris litteris habentur, omnino resultet. Quod cum, ut spero, dilucide ostensum fuerit, reliquum erit tantum, ut illorum auctoritatibus innitamur, qui proxime ad Apostolos accedunt & tempore & sanctitate, qui uno ore ejusmodi profectionem ad urbem Romam tam vere, quam constanter asseverant.

A Christi morte ad annum postremum Imperii Neronis, quo demum tempore Petrum cruci affixum fuisse authores fere omnes consentiunt, septem & triginta anni fuere paucis mensibus detractis. Siquidem Tiberius annis viginti tribus in Imperio vixit, quorum decimo octavo duobus Geminis Rubellio & Fufio Conss. passum fuisse Christum, nemo fere est, qui ambigat. Nam Tertulliani opinio in libro, quem adversus Judæos scripsit (*cap.* 8.) manifeste repugnat testimonio Lucæ. Scribit enim quinto decimo anno Tiberii Christum actum fuisse in crucem, habentem annos, ut illius verbis utar, *quasi triginta cum pateretur*. Lucas vero quo tempore a Joanne baptizatus est, quod accidit anno quinto decimo Tiberii Cæsaris, Jesum scribit tum demum annum trigesimum attigisse; cum tamen ex Evangelii historia certum sit, eumdem postea vixisse annis tribus, ut quemadmodum diximus, ejus mors inciderit in decimum octavum annum Tiberii, ut supersint ad mortem Tiberii integri anni quinque. Tiberius enim septimo, Christus VIII. Calend. Aprilis decessere. His adde Caii cognomento Caligulæ triennium & menses decem, quaternos denos Claudii & Neronis annos, simul omnes plus minus septem & triginta colliguntur. In quibus non semel tantum, sed iterum ac tertio potuisse Petrum Romam proficisci, manifestissimis argumentis convinci potest. Sed quoniam primam ejus profectionem in secundum Claudii annum rejecit Hieronymus, qua ratione id fieri potuerit, diligentius inquirendum est. Cumque omnes consentiant, Paulum anno primo a Christi morte evocatum fuisse ad fidem, iidem anno quarto Hierosolymas venisse, & *vidisse Petrum*, concedant necesse est. Siquidem *triennio post* illam evocationem (ut ipse ait *epist.* 1. *ad Galat.*) *ascendit Hierosolymas*, *&* *mansit apud eum diebus quindecim*, anno scilicet Tiberii vigesimo secundo. Ad quem diem variis conjecturis assequi possumus, Petrum ex Judæa & finitimis locis non discessisse. Statim vero dimisso Paulo, profectus est Lyd-
dam

Lutherus ab isto suam didicerit rhetoricam, nam uterque alterum in hac parte conatur vincere. Cæterum auctores coævi, qui Marsilii errores oppugnarunt, præter Joannem XXII. in eruditissimo decreto damnationis Marsilii & Joannis de Janduno ejus magistri dato Avenione x. Kal. Novembr. Pontificatus sui an. XII. (quod extat apud Raynaldum tom. 14. ad an. 1327. n. 27.) memorantur Alvarus Pelagius Silvensis Episcopus in libro *de planctu Ecclesiæ*, Alexander de S. Elpidio Ep. Ravennas in lib. *de jurisdictione Imp. & authorit. Sum. Pont.* & Petrus de Palude Ord. Præd. in lib. *de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis*.

dam (*Act. cap.* xi.) ubi Æneam Paraliticum saluti restituit; accersitus deinceps a discipulis Joppem, Tabitham mortuam revocavit ad vitam. Cumque dies aliquot *apud Simonem*, ut Lucas ait, *coriarium hospitatus esset*; accitus Cæsaream a Cornelio Centurione (*Act. cap.* x.) primum *ex gentibus* trophæum erexit, sic enim appellant sacræ litteræ eos, qui ex Judæorum secta non erant. Anno demum septimo rursus Hierosolymas derelinquens, Cæsaream profectus est, cum Simone Samarita disputaturus; paucisque ejusdem anni interpositis mensibus, pervenit Antiochiam, ut refert Clemens in primo *Recognitionum* libro. At vero mira incrementa vera Religio acceperat Antiochiæ, jam inde ab obitu Stephani: eo enim pervenerant discipuli profugi ex Judæa, quo deinde quoque jussu Apostolorum profectus Barnabas, adjuncto sibi Paulo, qui a fuga ex Hierosolymis ad eam diem in Cilicia ociosus sederat, ejusmodi adjumentum jam invalescentibus rebus præstitit, ut primo Antiochiæ sint appellati *Christiani* (*Act.* xi.) Ibi vero hoc eodem septimo anno a Christi obitu, *sacerdotii Cathedram Petro erexerunt discipuli*, ut in postremo decimo libro ejusdem operis idem Clemens testatur. Ut vero constat Paulum eo tempore Antiochiæ non fuisse, quippe quem non deinceps videre Petrus usque ad annum duodevicesimum a Christi morte potuit; sic rursus a plerisque dubitatur, quot annis ipse Petrus Antiochenam Sedem tenuerit. Nam septennium Damasi, & Platinæ, salva auctoritate graviorum historicorum, defendi non potest. Ego vero quinquennio ab ea die Petrum in Asia se continuisse non dubito, & eas regiones circuisse, quas ipse in epistola sua enumerat, cum interim tamen Pontifex Antiochenus haberetur. Unde cum rursus undecimo post Christi mortem anno Hierosolymas venisset, ea acciderunt, quæ de Jacobo fratre Joannis scribuntur in Apostolorum Actis: quod secundo Claudii anno evenisse credo, & rationem, quare ita credam afferre possum. Duo fuerunt eodem tempore cognomento *Herodes*, alter Antipas Tetrarcha Galileæ, ejus filius qui pueros trucidarat. Hic Christo illusit veste alba, hic violato sanguinis & hospitii jure uxorem Herodiadem a fratre Philippo abduxit, hic denique humana, divinaque permiscens, in Macherunte castello jugulavit Baptistam. Alter natus Aristobulo, filio Herodis regis & Mariannæ, *Agrippa*, in gratiam generi Augusti Cæsaris appellatus, a Cajo Caligula Rex Judææ, simulque Philippo defuncto Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis regionis constitutus; postremo etiam Abellæ tetrarchiam, quæ Lysaniæ dicebatur, obtinuit. Inter hos Herodes diu occultæ inimicitiæ odiaque intercesserunt, nutriente potissimum Herodiade alterius sorore, uxore alterius, fœmina vehementis ingenii, & supra muliebres spiritus. Postremo tamen Antipa a Cajo Tetrarchia multato, pulsoque cum Herodiade Lugdunum in exilium, pars quoque ea Syriæ cessit Agrippæ, qui primus post Herodem Idumæum, partem Syriæ longe maximam solus obtinuit. Hic quo munitior esset ad omnes casus, contra vim dolosque & sororis & Antipæ si popularium ani-

animos sibi conciliaret, gentem Judæorum statuit insigni aliquo munere demereri. Cumque vehementer illos infensos Christianis sciret, injecit manus, ait Lucas, ut malis affiiceret *quosdam de Ecclesia*. Trucidato igitur Jacobo fratre Joannis, Petrum, qui illis diebus, ut diximus, Hierosolymas venerat, conjecit in carcerem: qui divino beneficio Angelique ministerio eductus, exiens abiit in alium locum (*Act.* XII. 1. 2. *&c.*). Quæ omnia secundo anno Claudii contigerunt. Siquidem Lucas, descripta famis acerbitate, qua sub eo Principe per universum orbem laboratum est, statim subjunxit illud tempus, scilicet quo fames invaluerat, nec illud postea accidere potuit, quando, ut Josephus, & Egesippus scribunt, tertio Claudii anno, Agrippa ipse, qui Petrum conjecit in carcerem, fato concessit. Cujus cum tam late pateret imperium, vim furoremque declinaturus Petrus, simul etiam ut Simonis Samaritæ vestigiis insisteret, Romam profectus est, nec ejus ulla est deinceps in Actis Apostolorum mentio, usque ad tempora conventus Hierosolymitani, in quo de circumcisione actum est, ut septem Petri annos Lucas silentio prætererit. Cum igitur Romam pervenisset per initia imperii Claudii, ut Orosius scribit (*lib.* 7. *cap.* 6.) sive quod nequaquam diversum est, *anno secundo*, ut ait Hieronymus, ejusmodi Religionis fundamenta posuit, ut postea ad Romanos scribens Paulus, quos nondum viderat, gratias agat Deo, quod illorum fides in universo mundo nunciaretur. Jam si ab hoc tempore supputetur annorum ratio ad postrema Neronis tempora, quinque & viginti invenientur, tot nempe, quot scribit Hieronymus, ut illius verbis utar, *cathedram sacerdotalem* tenuisse. Nec tamen toto eo spatio Romæ permansit. Inciderunt namque deinceps ea tempora, quibus Judæi tumultuantes, cum in proprium excidium præcipites ferrentur, Roma expulsi sunt, neque id ego in odium Christianorum factum esse opinor: fecerat enim idem antea Tiberius, qui nobis non modo non adversatus est, sed Christi etiam imaginem habuit in arcano. Cum enim consuessent Judæi vim auri magnam ad templi ornatum, ex omnibus provinciis quotannis Hierosolymas portare, M. Tullio Cicerone Cos. ut ipse ait in Oratione pro Flacco: *judicavit Senatus aurum exportari non oportere*. Quod cum sub Tiberio fecissent quidam ex Judæis, Roma, Josepho & Egesippo testibus, omnea expulsi sunt. Quos publice odio fuisse, præter ea, quæ sunt apud Trogum, etiam ex Quintiliano conjicimus: *Est conditoribus* (inquit) *urbium infamia, contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, qualis est primus Judaicæ superstitionis auctor*. Minime autem mirum est in tam magna civitate, Judæos tumultum excitare potuisse, cum multi forent ex Romanis illorum superstitioni addicti. Unde illud Juvenalis

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Nil præter nubes & cæli numen adorant.

Quod

Quod manifestius ipse testatur Cicero pro L. Flacco (*num*. 98.) *Sequitur*, inquit, *auri illa invidia Judaici; hoc nimirum est, quod non longe a gradibus Aureliis hæc causa dicitur. Ob hoc crimen, hic locus abs te, Leli, atque illa turba quæsita est. Scis quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus, summissa voce agam, tantum ut Judices audiant. Neque enim desunt, qui istos in me atque optimum quemque incitent*. Nihil igitur mirum, si sub Claudio quoque tumultus & novarum rerum cupidi non secus atque sub aliis Imperatoribus, vexati sunt, maxime cum, ut Tacitus ait, *illis ipsis diebus Cumano procuratore Judeæ, non tumultum modo, sed pene etiam justum bellum in Syria excitarint*. Quare a Principe ut ingenii obtusi & stupidi, sic præcipiti iracundia, Roma expulsi fuere, quod Apostolorum quoque acta testantur. Denique Tranquillus in Claudio: *Judeos*, inquit, *impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit*. Cum namque novum illud nomen ex Judæa audiret, vulgoque jactaretur nuper Christianorum exortam factionem, in quam ipse & Dion & Tacitus adeo impie invehuntur, credidit tumultus illos a CHRISTO, qui tamen multis jam ante annis obierat, excitari. Ut erant fere omnes ignari eorum, quæ de Christo loquerentur, quod probat contra Celsum Origenes, & apud Tertullianum ridiculus ille Onoychites, & quod quidam Galilæos, Nazarenos quidam, non Christianos appellabant, quin & emendati Codices Tranquilli, non *Christum*, sed *Chrestum* habent. Cum namque causam ignorarent sacrosancti nominis, non (*a*) ἀπὸ τοῦ χρίεσθαι, χριστὸν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι χρηστὸν dici putabant, quod Lactantius tum in libro de vera sapientia, tum Instit. (*lib.* IV. *cap.* VII.) & Tertullianus in Apologetico (*lib.* III.) testantur. Expulsos etiam a Claudio non Christianos, sed Judæos illud maxime probat, quod ut Tertullianus ait, & cæteri consentiunt, non ille, sed Nero primus in Christianos desæviit. Quo nomine Petrus, qui gente Judæus erat, ex Bethsayde vico Galileæ simul cum cæteris discedere est coactus, quod Priscillæ quoque & Aquilæ accidisse, scimus ex Apostolorum Actis. Eo igitur tempore Hierosolymas rursus adveniens Petrus, quo per totum orbem fame laborabatur, cujus historici fere omnes meminerunt, Paulum vidit, qui Antiochia in Judæam simul cum Barnaba profectus erat. Quandoquidem opulentiores Antiocheni, qui nec possessiones vendiderant, nec largitionibus exhauserant patrimonia, ea subministrabant pauperibus Hierosolymitanis, quæ tunc Barnabas, Paulusque detulerunt. Id vero circa Claudii annum nonum accidisse potest, qui duodevigesimus fuit a Christi morte, quando Paulus contulit cum ipsis Evangelium ne forte in vanum curreret. Petrus vero

(*a*) Non a χρίεσθαι quod est ungere χριστὸν, scilicet unctum sed a χρῆσθαι, quod est commodare χρηστὸν, scilicet commodum, benignum, bonum. Sed talia vertere opus inutile.

vero ab hac die Romam non venit usque ad postrema Neronis tempora; ut abfuisse possit annis plus minus quindecim, in quibus rursus Antiochiam reverti, & id accidere potuit, quod est in epistola ad Galatas, disceptatio quoque de circumcisione in Conventu Hierosolymitano, & quæ de obitu Deiparæ Virginis a Dionysio sunt tradita. Contra Simonem demum Samaritam rursus disputaturus Romam venit postremo Neronis anno, ubi de morte ea subsecuta sunt, quæ consensu omnium scriptorum memoriæ sunt commendata. Si enim vitæ ejus decursum sic distinxerimus, nihil est, ut opinor, quod sacris literis repugnet; & maximorum sanctissimorumque auctorum de illius profectione ad Romanam urbem tam pie, quam vere tuta erit opinio. Superest, ut quoniam nihil obstare divinos libros assertioni nostræ ostendimus, auctores quoque enumeremus, qui in hac nobiscum opinione fuerunt. Enimvero non eadem differendi ratio est in disciplinis, & in rerum gestarum indagatione. In illis enim minimum valet auctoritas, ut si enunciati alicujus veritatem, vel naturæ vim, vel quippiam in divinis, postremo quid expetendum fugiendumve sit quærimus, tunc necesse est, ut ratio sibi ipsa argumenta conquirat, a primis manifestisque initiis proficiscens, ut consequentium certa fiat ostensio. Cum vero quærimus, vel de historiæ alicujus veritate, vel de gestis institutisque majorum, omnis diligentia versetur necesse est in indagandis iis, quæ auctores memoriæ prodiderunt, & si inter ipsos contrarium aliquid videatur, tunc discussioni relinquitur locus, si forte ex quæsitis rationibus convenire possint: at si id nequit, superest, ut quid potissimum verum sit investigemus. Quoniam igitur auctoritatibus nobis tantum agendum est, priusque illud quod longe videbatur difficillimum absolvimus, consequens est, auctores, qui opinioni nostræ consentiunt, enumerare. Et quoniam, ut spero, in causa admodum facili & explicata versabimur, non erit nobis cum adversario summo jure agendum: quin etiam cum quippiam de jure nostro concesserimus, ita tamen erimus superiores, ut dubitaturos sit nemo, secundum nos judicare. Scriptores igitur, ut ita dicam, minorum gentium adversario donabimus, quales sunt Orosius (hist. lib. 7.), Eutropius, Suidas, Platina, Blondus; & in divinis Rufinus, Beda, Remigius, & ejus generis complures. Magnos etiam illos viros, qui auctoritatis suæ viribus totam causam nostram singuli sustinere possent, Clementem scilicet Romanum, Damasum (a), Gregorium (b), Leonem-

(a) Damasi auctoritas petitur ex libro de vitis Pontificum, qui Cortesii ætate sancto huic Pontifici falso tribuebatur. Quem quidem librum diversorum auctorum farraginem esse, patet tum ex stilo Damaso indigno, tum ex pugnantibus inter se rebus quibus scatet, tum demum ex S. Hieron. silentio. Vide cl. præsulis Franc. Blanchinii Prolegomena in librum Pontificalem sub Anastasii Bibliothecarii nomine editum.

(b) Vide S. Gregorii M. epist. 37. lib. 6. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, in qua de tribus sedibus Patriarchalibus ita scribit. *Illa tres ab eodem Principe Apostolorum Petro fundata sunt. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu* *sola*

nemque (a) omittemus. Quoniam, si Deo placet, hac demum tempestate, eo devenimus, ut licet viri sanctissimi, & gravissimi, quoniam tamen Romani Pontifices fuerunt, eo nomine suspecti esse possint: & Clementis disputationibus, quibus tantum & Chrysostomus & Leutherius tribuunt, & quas doctrinam vere apostolicam continere dicit Joannes Picus, quasque a se in latinum conversas Hieronymus ait in interpretatione Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, licet nunc a Rufino conversas habeamus, non tuto credi, scribit hujus novæ opinionis assertor: quasi non tantum in dogmatis, sed in rerum quoque gestarum fide sit corruptus (quamquam in Clementis nomine hominem errare simus ostensuri). Leonem vero nuper Lutherus ita severe accepit, ut magnopere verear, ut denuo in eadem fere causa loqui audeat. Jam Ambrosius Mediolanensis Pontifex silentio quoque prætereundus est, qui quoniam civis Romanus fuit, nimium patriæ tribuisse & videri & argui potest (b). Donabimus quoque ex hac nostra testium affluentia Augustinum (c); Hieronymum etiam donaturi, nisi in quæstione hac ita comparatum esset, ut si ea vera concesserimus, quæ hic novus assertor comminiscitur, sit omnino vel pudendi erroris, vel impudentissimi mendacii Hieronymus expostulandus, seu quod æque reprehendendum est, sibimet manifestissime contrarius constitui possit. Ille, inquam, Hieronymus, quo nemo fuit in historiarum veritate indaganda diligentior, in explicanda eloquentior, cautior in conferenda: ille, qui modo hoc *fabulam*, modo illud *confictum mendacium*, (ut erat veritatis assertor ingenuus) dicere non verebatur. Ipsius

sola Apostolorum principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, (Romanam scilicet), in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam discipulum misit (nempe Alexandrinam quam per S. Marcum fundavit). Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus sedit, (nimirum Antiochena). Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina stes nunc Episcopi præsideant, quidquid de vobis nunc boni audio, hoc mihi imputo &c.

(a) S. Leo Sermone I. in Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Beatissimus Petrus*, inquit, *Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii; ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salute, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Et infra. *Ad hanc ergo Urbem tu, Beatissime Apostole Petre, venire non metuis; trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferens, quo te divinis præordinationibus anteibat & honor potestatis & gloria passionis, &c.*

(b) Vid. S. Ambrosii sermonem *de Basilicis non tradendis* contra Auxentium.

(c) S. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani Donatistæ cap. 51. *Veruntamen*, (inquit) *si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris; Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?* Vide etiam ejusdem Augustini epistolam 53. alias 165. datam ad Generosum, nec non epistolam 132. alias 42.

Ipsius nempe illud est: *quæ de divinis scripturis testimonium non habent, eadem facilitate contemni, qua probari*; ipsius quoque in libro de viris illustribus baptizati Leonis, rursusque in Daniele Susannæ fabula (*a*). Hic ipse Hieronymus, ut sibi contrarius, ut malos sequutus authores reprehenditur, vir certæ ut omnibus latinis multorum judicio præferendus, ita fortasse cuivis Græco, judicio, doctrina, & eloquentia comparandus. Hic, quod ipse in opere contra Jovinianum testatur, annis quadringentis elapsis a Christi morte jam senex scribebat; ut certum sit, ad id tempus, quo primo adolescens adhuc Romam venit, a morte Petri, qui annis duodequadraginta post Christum vixit non plus annos ccc. fluxisse, ut fere adhuc Romæ vestigia mortis Petri impressa essent. Cum igitur locum illum in epistola ad Galatas tractaret, quo se scribit Paulus in faciem Cephæ restitisse, sic ait. *Sunt qui Cepham non putent Apostolum, sed alium de LXX. discipulis isto vocabulo nuncupatum, & dicunt, nequaquam Petrum a convictu gentium se potuisse subtrahere, qui Centurionem Cornelium* ba-

(*a*) Quamvis S. Hieronymus, tum in præfatione in Danielem, tum Comment. in Jer xxxix. 22. tum demum lib. 2. adversus Jovinianum Susannæ historiæ (*fabulam* Cortesius appellat, propriam latinamque vocis significationem sequutus: est enim Latinis res passim divulgata sive vera, sive ficta sit, a *fari*) minus æquus videatur, quod eam historiam *apud Hebraeos* nusquam habeat, quemadmodum nec *hymnum trium puerorum*, *nec Beli Draconisque fabulas*; tamen idem ipse Hieronymus ejus dicti in invidiam a Rufino vocatus, respondet *Apologetic. lib. 2. Non enim quid ipse sensissem, sed quid illi (Hebræi) contra nos dicere soleant, explicavi*. Et Comment. in Isai. *cap.* 111. *vers.* 1. tradit de illis: *In toto orbe dispersa sunt*, addens a Græcis omnibus & Latinis, Syris pariter & Ægyptiis legi probarique. Ceterum, ut ad *Susannæ historiam* revertamur, quæ ex Græca Theodotionis versione cap. xiii. Danielis legitur, non mirum si Cortesio nostro ante Concilii Tridentini tempora scribenti illius authoritas suspecta esse potuerit, cum non solum Hieronymus de ejusdem veritate dubitasse videatur (licet postea, ut modo dictum est, sententiam suam melius explicaverit) sed Julius quoque Africanus in sua ad Origenem epistola, laudatis Susannæ, Beli, & Draconis narrationibus, quæ in Hebraicis Danielis exemplaribus desiderantur apertissime refragatus fuerit. Quamquam & Origenes, scripta de hoc argumento epistola Africani objectionibus egregie responderit, & quemlibet Catholicum etiam ante Tridentinæ Synodi sententiam ad earumdem historiarum veritatem asserendam movere debuisset, tum constans traditio & Ecclesiæ illos libros semper in Canonem recipientis authoritas, tum Patrum Græcorum & Latinorum omnis ætatis ex iisdem sententias tamquam e reliquis scripturis Canonicis laudantium, testimonia. Vide Ignatium Martyrem *epistola ad Magnesianos*; Tertullianum *lib. de corona militis*, Athanas. *epist. ad Serapion. & ad Marcell. & in Synopsi*. Ambros. *lib.* 3. *de Spir. S. cap.* 3. Cypr. *epist.* xi. Clementem Alexand. *lib.* 4. *Strom.* Origenem *epist. ad African. item tractat.* 31. *in Matth. & hom.* 1. *in Levit.* Chrysostomum *hom. de Susanna*, Methodium singulari opere *de Daniele & Susanna*, cujus meminit Georgius Syncellus, Gregorium Nazianzenum *hom.* 18. in laudem S. Cypriani, Severum Sulpitium *lib.* 2. *hist. Sacra*, Rufinum *lib.* 2. *adversus Hieronymum*, Augustinum *serm.* 43. *nov. edit.* aliosque. Consule etiam Natalem Alexandrum *hist. veter. Testam. tom.* 2. nec non Augustinum Calmet *in prolegomenis sive in præfatione Commentarior. in Danielem*.

baptizarat, maxime cum Lucas scriptor historiæ nullam hujus dissensionis faciat mentionem, nec dicat usquam Petrum Antiochiæ fuisse cum Paulo. Et paullo post: *Non mirum est, inquit, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit*. Poterat vel hic tantum locus silentium imponere cuilibet secus opinanti; sed longe expressiora sunt, quæ in libro de viris illustribus scripsit: ubi cum id tantum ageret curaretque vir omnium diligentissimus, ut quæ de unoquoque certa erant affirmaret, notaretque dubia, nequaquam fit verisimile, aut vulgi tantum opinionem, aut quod Persuasor ait, doctas fabulas secutum: præsertim cum id nequiquam de Hieronymo dici possit, quod passim nunc in Theologos, nec satis scio, an falso jactant, non satis scilicet fuisse versatum hominem in sacris litteris, ut pugnantia consequentiaque non videret. Sic vero ait. *Simon Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia, secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum, idest quartum decimum Neronis annum, a quo affixus cruci, martyrio coronatus est capite ad terram verso*. Idem contra Luciferianos scribens dicit, *Beatus Cyprianus ad Stephanum tunc Romanæ Urbis Episcopum, qui a Beato Petro vigesimus sextus fuit*. Sed a Hieronymo ad ejusdem ætatis virum, quo nemo sanctior, nemo gravior apud Græcos, Joannem Antiochenum dico Constantinopolitanum Pontificem, ob eloquentiam cognomento Chrysostomum. Hic in epistolam ad Timotheum posteriorem, ubi Paulus ait: *Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, & Claudia*, apud Latinum interpretem sic habet. *Hunc Linum ajunt quidam secundum post Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse*. Quo in loco verbum *ajunt* (de quo tam multa verba Persuasor facit, ut etiam ad grammaticos descendat) præter id, quod de re multis jam annis ante præterita, aliter loqui non poterat; patet etiam non ad Petri in Romana urbe sacerdotium, sed quod tunc agebat ad Lini successionem referendum esse: dubitarique non utrum Linus secundus fuerit a Petro Romanæ Ecclesiæ Pontifex, sed an unus idemque ille esset, de quo Paulus in epistola meminit, & is, qui Pontifex Romanus fuit. Theophilactus quoque Bulgariæ Pontifex, cujus Commentarios Chrysostomi epitomas dixeris, nihil enim fere apud ipsum est non a Chrysostomo, eadem prorsus repetit verba. Corpus præterea Pauli, de quo æque ac de Petro negat Persuasor Romæ quiescere, idem Chrysostomus in ea actione, quam habuit contra observantes Neomenias: *Nuper, inquit, cum Paulum laudarem, non secus gestiebatis, ac si ipsum vidissetis præsentem. Et quidem corpus ejus in Regina Roma positum est*. Utrumque vero in Dissertatione, quod Christus Deus est. Sic enim ait: *Romæ, quæ omnibus posthabitis ad se-*

sepulchra piscatoris & coriarii currunt Reges. In commentariis quoque epistolæ ad Romanos, truncatum capite Romæ Paulum fuisse scribit (*a*), Verumtamen ad superiora tempora veniendum est, quæ quo fuerint ipsius Petri morti propinquiora, eo minus dubitationis habere poterunt. Vixit Magni Constantini ætate Eusebius Cæsareæ Pontifex, in indaganda veritate, digerendisque rerum gestarum temporibus ita diligens, ut non erubuerit Hieronymus opus, quod ille (1), χρονικὰ inscripsit, multis etiam in fine additis, interpretari, quod nisi spreta ejus obtestatione, in annotatione temporum, innumeris manifestisque mendis scateret, non adeo nunc nobis esset elaborandum. In eo enim & adventum Petri ad urbem Romam, & mortem, signatis etiam annis dilucide posuit (*b*). Scripsit etiam librum Ecclesiasticæ historiæ, in quo & idem sæpius de Petro affirmat, & magni nominis auctores se secutum testatur (*c*), Eadem quoque ætate Lactantius, qui in postrema senectute Crispum Constantini filium liberalibus disciplinis erudiit, vir omnium Christianorum disertissimus, in libro de vera sapientia sic ait. *Discipuli vero* (Christi) *per provincias dispersi fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine magistri Dei magna, & pene incredibilia miracula, quia discedens instruxerat eos virtute & potestate, qua posset novæ annuntiationis ratio fundari & confirmari, sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt, & ea prædicatio in memoriam scripta permansit*. Deinde subdit. *Itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Judæorum nomen & gen-*

(*a*) En D. Chrysostomi verba loc. cit. nimirum hom. 33. *Non ita Cœlum splendescit, quando radios suos Sol ex se dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens, Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus, Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri*.

(*b*) Eusebius in Chronico anno XLV. *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat*, Idem lib. 2. hist. cap. 25. *Igitur Nero ut apertum se hostem divinitatis pietatisque professus est, ipsorum primo Apostolorum, quippe qui duces & signiferi erant in populo Dei, expetit neces; & Paulum quidem capite in ipsa urbe Roma, Petrum vero Crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam usque in hodiernum & splendidissima eorum monumenta testentur*.

(*c*) Idem Eusebius lib. 2. hist. Eccl. cap. 13. postquam de Simone mago in cap. præcedenti scripsisset, subdit. *Cæterum ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia illi processerunt. Nam e vestigio sub ipso Claudii Imperio benigna & propitia Dei totius hujus universitatis Rectoris erga humanum genus providentia, fortem ac prapotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facile principem Petrum Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit*. Vide etiam ejusdem libri cap. 14. seu 15.

(1) Chronica, Temporum descriptiones, monumenta, rationarium temporum.

gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia quæ illi futura prædixerant (*a*), Dicamus & hos mentiri falsamque vulgi opinionem secutos, quorum alter innumeris probatissimisque testibus innititur, alter usque ad sua tempora *prædicationem in memoriam scriptam* ait *permansisse*. Eadem fere ætate Alexandriæ Petrus Pontifex quem Græci ἱερομάρτυρα (1) vocant, regulas quasdam edidit ab illis servandas, qui minus constantes in martyrio fuissent. In earum ix. sic ait, ut græca interpretemur. *Petrus Apostolis Præfectus sæpe captus & conjectus in carcerem & ludibrio habitus, postremo Romæ affixus est cruci. Æque etiam splendidissimus Paulus, in eadem urbe capitali supplicio est affectus* (*b*). Cyprianus præterea Carthaginensis Pontifex (*c*), de cujus laudibus extat Nazianzeni Oratio elegantissime scripta, quam nos latinam fecimus, adeo manifeste Romanorum Pontificem Petrum fuisse testatur, ut impudentissimi mendacii semet reum constituat, qui id ausus fuerit denegare. Ait enim ad Cornelium scribens lib. 1. epist. 3. *Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum*. Sed jam propius ad Apostolorum tempora accedamus, & eos authores, qui si non ipsi Petrum viderunt, potuerunt quidem certe & locum & genus mortis de illis audire, qui forte affuerant. Floruerunt sub Severo principe & Antonino cognomento Caracalla Tertullianus Afer, & Alexandrinus Clemens, qui cum senes jam scriberent, poterant certe memoriam habere Antonini Pii temporum, qui Severum præcessit annis circiter quinquaginta, paulo pluribus distans a Nerone, ut verisimile sit temporibus Pii aliquos superfuisse, qui Petrum viderant, quosque Tertullianus & cæteri, quos postea testes accersemus, alloqui potuerunt. Tertullianus igitur, ut illius libri testantur, vir fuit acerrimi ingenii, quem & Cyprianus martyr *præceptorem* solitus est appellare, & Lactantius *in omni genere litterarum peritum* fuisse scribit. Hic in libro ad Severum, quem inscripsit *Apologeticon* sic ait. *Discipuli quoque diffusi per orbem ex præcepto magistri Dei paruerunt, qui & ipsi a Judæis insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia libentes Romæ, postremo per Neronis sævitiam sanguinem Christianum seminaverunt*. Video quomodo quidam heic se jactaturi sunt, quod Petrum & Paulum non homi-

(*a*) Hæc Lactantii verba a Cortesio allata leguntur lib. 4. divinarum institutionum c. 21. apprimeque conveniunt cum iis, quæ idem Lactantius sive alius ejusdem ætatis scriptor habet lib. de persecutione superiore seculo tam feliciter reperto, & a Stephano Baluzio in lucem edito: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit*. Et de Nerone paulo post, *Petrum cruci affixit, & Paulum* (*gladio*) *interfecit*.

(*b*) Vid. Concil. Harduini tom. 1. col. 230. edit. Paris. an. 1715.

(*c*) Floruit Sanctus Cyprianus medio tertio Ecclesiæ seculo.

(1) Sacrum Martyrem.

nominarit. At id minime necesse erat: ad illos nempe scripsit, quibus cum Christianum nomen cognitissimum esset, nomina tamen Apostolorum omnino fuissent incognita. Ceterum quid refert in rei cujuspiam notatione, nomine, an finitione utamur? Ita enim describit Petrum & Paulum, ut nemini dubium esse possit, alios quosdam intelligi non debere. Eum passum dicit præcepto magistri, multaque perpessos a Judæis insequentibus, postremo interemptos a Nerone. Enimvero a contentionibus absistamus, & longe manifestiorem ex eodem auctore citemus locum. Scribit enim quarto adversus Marcionem libro (c. 5.), *Videamus quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt* (a). Clemens vero Alexandrinus, qui eadem ætate, qua Tertullianus vixit ille est in cujus nomine erravit noster hic novæ opinionis assertor: credidit namque eum, qui librum scripsit, cui nomen (1) Ὑποτυπώσεις Clementem Romanum Pontificem fuisse. Quare idcirco ejus auctoritatem redarguit, quod non sit tutum illius libris credere, quod suppostitii sint, quod falso Clementi adscripti, quod denique ab hæreticis magna ex parte depravati. Qui si, ut falso distinguere voluit inter duos Marcos, sic vere duos Clementes distinxisset, non utique in tam manifestum incidisset errorem. Duo siquidem Clementes fuerunt, alter Romanus & Petri discipulus, qui librum scripsit *Recognitionum* apud quem nihil eorum reperitur, quæ Persuasor citat; nec ejus nos opera ab hæreticis potissimumque Eunomianis in quibusdam quæ ad dogmata spectant, corrupta negamus (b); alter Alexandrinus, præceptor Origenis, qui

(1) Imagines expressæ. Hieronymus vertit informationes. Auctor quoque.

(a) Idem Tertullianus lib. de præscriptione adversus hæreticos quem Pamelio auctore an. circ. Chr. 203. scripsisse videtur. *Si Italiæ, inquit, adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* In libro autem de Baptismo: *Necquidquam refert, ait, inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit.* Et in Scorpiaco cap. 15. *Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.*

(b) De libris decem Recognitionum S. Clementi Papæ falso tributis, veterum testimonia habes apud Cotelerium in collect. Patrum Apostolicorum edit. Antuerp. pag. 479. Ipsius autem Cotelerii de illis judicium, legitur pag. 484. Eos primum latine ab authore scriptos fuisse, deinde vero græce versos, & iterum e græco in latinum a Rufino translatos, existimant Anastasius Bibliothecarius in epist. ad Joannem Diaconum Romanum, & Huetius de claris interpretibus pag. 246. perperam tamen, quemadmodum adnotavit Fabricius in Cod. apocrypho N. T. pag. 762. Extat adhuc hoc opus ex versione Rufini, qui in epistola ad Gaudentium Episcopum (quam Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. Sanctæ, & Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis suppositam esse immerito suspicantur) sentire videtur ab ipso Clemente primum fuisse scriptum, & ab Ebionitis inde corruptum. Atque hæc est Cortesii nostri sententia, quam sequi videtur Epiphanius hæres. 30. num. 15. Neque ab ea abhorret pseudo-Athanasius seculi v. author in Synopsi Sac. Scripturæ; ait enim ex eo vera quædam selecta fuisse & a Deo inspirata; & ex recentioribus Calmetus in Proleg.

qui cum alia plurima tum eum quem jam diximus librum composuit a Hieronymo latine *Informationum* appellatum. Quod opus, sicut nec alia ejusdem (extant enim etiam ad hanc diem complura) corruptum fuisse mihi persuadeo. Nam cum id affirmare voluisset Rufinus in opere quod inscripsit *de adulteratione librorum Origenis*, eo potissimum argumento, quod nequaquam illi credibile videretur eruditum adeo catholicumque virum vel sibi contraria sensisse, vel ea quæ de Deo credere impium est, scripta reliquisse, Hieronymus in hæc fere verba respondet. ***Si conceditur ut quidquid in libris omnium reperitur ab aliis corruptum sit, nihil eorum erit, quorum fertur nominibus, & quomodo, inquies, in libris eorum vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos hæreticos judicabo; fieri enim potest, ut, simpliciter erraverint, vel alio sensu senserint, vel certe antequam in Alexandria, quasi demonium meridianum Arrius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt, & quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare***. Cum Hieronymo igitur, non modo Clementis Alexandrini scripta adulterina non esse opinor, sed eo magis illis fidem adhibendam puto, quod Alexandrinus patria, nec ita multum distans a Marci Evangelistæ temporibus, ea quæ scripsit, ab illis potuit accepisse, qui rebus gestis interfuissent. Ait vero: ***Cum Petrus Romæ Evangelium divulgaret, rogatum Marcum ea, quæ a præceptore dicebantur excepta publicasse; quod cum intellexisset Petrus, tantum absuit ut gravate tulerit, ut etiam mirum in modum sit delectatus*** (*a*), Accedat nunc testis

leg. in Acta Apostolorum, ubi verosimillimum putat, aliquem certe ex D. Petri discipulis absque dolo opus illud primo scripsisse, deinde vero ab hæreticis fuisse corruptum, ideoque inter apocrypha rejectum. Enimvero ejus locum refert Origenes in Philocalia cap. 23., nec semel laudatur ab Auctore Operis Imperfecti, ut praeteream Isidorum, Bedam, aliosque a Coteletio l. c. laudatos. Attamen Photius in Bibl. cod. 114. a Lucio Charino magni nominis Ebionita conditum censet, & Gulielmus Cave tum in vitis PP. primit. in Clemente tom. 1. n. 11. tum in hist. liter. tom. 1. pag. 14. quod amplissimum Bardasanis Syri fragmentum ex libro *de fato* eisdem quibus legitur apud Eusebium verbis, occurrat nono *Recognitionum* libro, operis totius compilatorem fuisse Bardesanem conjicit.

(*a*) Floruit Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter Severi & Antonini ejus filii imperatorum temporibus. Fuit Pantæni discipulus, eoque e vivis erepto scholam Alexandrinam tenuit, & Catecheseon habendarum suscepit provinciam. Insignia in Ecclesiæ bonum volumina edidit, plena eruditionis & eloquentiæ, & tam scripturarum divinarum, quam sæcularis literaturæ conspersa floribus; Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Philosophorum, Poetarumque testimoniis varie contexta: quod maxime in iis libris elucescit, quos propterea *Stromatum* inscripsit. Præter octo hujus operis libros, adhortationem ad gentes, & tres libros Pædagogi, nihil operum Clementis Alexandrini superest. Nam octo *Hypotyposeon* libri, summariam locorum vet. & nov. Testamenti explicationem continentes, ex quibus multa reprehensione digna notavit Photius *Biblioth. Cod.* 109. *& seq.* librum præterea *de paschate*, alium *de jejunio*, alium *de obtrectatione*, unum hortatorium *ad patientiam*, unum *ad nuper baptizatos*, unum *de Canonibus Ecclesiasticis & adversus eos, qui Judæorum sequuntur errorem*, quem Alexandro Hierosolymorum Episcopo nuncupavit, alium denique, cui titulus *Quisnam dives ille sit, qui salvatur?* inter deperdita ejusdem Clementis opera enumerantur. De ejus scriptis legendi Eusebius lib. 6. cap. 1. S. Hieronymus in cat. Script. Ecclesiast. cap. 49. & Photius loc. cit.

testis magno præceptore discipulus longe maximus Origenes, qui in libro III. *Explanationum in Genesim* scribit. „ Petrus Pontum sortitus, & „ quas in epistola sua enumerat provincias Judæis tantum prædicans circumiit; postremo in urbe Roma commorans, ibi & crucifixus est „ &c. „. Verum enim vero quoniam in re manifesta longiores esse nolumus, difficileque est omnes enumerare, qui hoc idem de Petro testantur, quatuor postremo cursim citabimus, qui si non singuli, at certe omnes non minus apud doctos authoritatis habebunt, quam hic noster, qui novam hanc opinionem tutari est conatus: non enim puto inferiores futuros tum eloquentia, tum sacrarum litterarum cognitione, tum sanctitate & moribus; postremo etiam superiores propinquitate temporis, quippe qui, ut ita dicam, respersam adhuc terram viderint sanguine Apostolorum. Horum primus Justinus martyr cognomento Philosophus, in Apologetico ad Antoninum: scripsit enim & alterum ad gentes. In priore igitur omnia illa, quæ de Simone Samarita a cæteris dicta sunt, longissime prosecutus est. Alter Egesippus *vicinus*, ut Hieronymus ait, *temporibus Apostolorum*, in tertio libro operis (de excidio Hierosolymæ cap. 2.) quod Ambrosius Mediolanensium Pontifex latinum fecit, adventum Petri ad Urbem sub Nerone, disputationem cum Simone Samarita, mortem denique tam luculenter, quam vere descripsit. Accedit tertius Iræneus Lugdunensis Pontifex, Polycarpi Smirnæi Episcopi discipulus, qui fuit Apostoli Joannis auditor. Hic enim divinarum scripturarum indicem texens, sic scribit. „ Matthæus Hebræis propria „ eorum lingua conscriptum edidit Evangelium, cum Paulus & Petrus „ in urbe Roma annunciarent, ibique Ecclesiæ fundamenta solidarent „. Idem *Hyginum* ait *nonum* ab *Apostolo Episcopum Romanæ urbis* fuisse in III. adversus hæreses libro (*a*). Postremus accedat Papias Hieropolitanus Pontifex, Papias, inquam, Joannis Evangelistæ auditor, qui, ut Eusebius, Hieronymusque testantur, Petrum dixit priorem epistolam Romæ scripsisse, in qua tropice Romam, *Babiloniam* nominavit (*b*). Is sunt nem-

(*a*) Texit Irenæus ejusdem libri cap. 3. Catalogum Romanorum Episcoporum, & primo loco ponit Petrum & Paulum, secundo Linum, terrio Anacletum, quarto Clementem, & cæteros usque ad Eleutherium, qui tunc sedebat, & nominatim de Clemente, Sixto, & Eleutherio repetit, quod Apostolis succedant, Clementem dicens tertium ab Apostolis, Sixtum sextum, Eleutherium duodecimum. At profecto non potest vere dici, Romanos Episcopos Petro succedere, si Romæ Petrus Episcopus non fuit.

(*b*) Eusebius lib. 2. histor. cap. 15. „ Papias, inquit, & hoc dicit, quod Pe„ trus in prima epistola sua, quam de ur„ be Roma scripsit, meminerit Marci, in „ qua tropice Romam Babylone nomina„ vit, cum dicit: *Salutat vos ea, quæ* „ *in Babylone est electa Ecclesia, & Mar*„ *cus filius meus* „. Quæ profecto sententia non poterat a Papia Joannis discipulo prodire, & ab aliis tam avide recipi atque probari, nisi eo tempore traditio recepta non fuisset, Petrum Romæ aliquando fuisse. An ille cum Apostolorum auditoribus diu, multumque versatus, hæc excogitasset, si illi novissent Petrum Romæ

pe auctores, quorum fidei hæc veritas innititur; hos omnes redarguat necesse est, qui diu inolitam opinionem voluerit infirmare. Istis obiicienda est sacrarum litterarum ignorantia. Acta Apostolorum, & Pauli epistolas non satis diligenter evolvisse dicendi sunt: quorum plerique vel in Paulum ediderunt Commentarios, vel propriis commentationibus Reip. Christianæ mirum in modum profuerant, dicendi erunt temporum rationem non habuisse, qui ut nos qua quidque ætate gestum est sciamus, labore & diligentia sua perfecerunt. Ad summam pene ea, quæ viderunt, dicendi sunt ignorasse. Enim vero si hoc temerarium, si omnino alienum a Christiana moderatione, si denique impium tot sacris authoribus fidem abrogare, divinis libris, ut satis patuit, non adversantibus, eorum opinioni omnino est accedendum, nec committendum est, ut vel odio in Romanum Pontificem, vel in mores Deo dicatorum hominum, si fortasse a prisca severitate discesserunt, mendacii alicujus patrocinium assumamus; studium magis omne & cura ad id committenda sunt, ut vel nostris moribus castigatis, cæteris exemplum vitæ esse possimus: cum plerosque sciamus aliquando labentibus & pene jam eversis Christianorum rebus, morum magis integritate, quam adversus peccantes contumeliis & opprobriis tulisse opem. Adhibenda est quidem severitas orationis, paulo etiam incitatiores adhortationes habendæ, castigatio denique vehementior gravitate conjuncta, & hæc omnia, si ita prius nos instituerimus, ut cum ardua, aut difficilia, cum denique Christianæ religioni consentanea nos ostenderimus desiderare, nobis ipsis pareamus, decretisque nostris; ne cum vita pugnet oratio. Quod ii mihi facere videntur, qui non pia eruditione, sed conviciis & maledictis libros referciunt. Si enim index vitæ morumque est oratio, satis patet eos, qui mente effrænata animoque præcipiti ad maledicendum feruntur, interius æstu, tumultuque pessimorum affectuum laborare. Enimvero quoniam diximus, nihil nobis illis *persuasionibus* persuasum esse, rationem quoque quare id dixerimus afferre necesse est.

GRE-

numquam fuisse? An ille; qui in Proœmio librorum suorum testatur, se solitum fuisse ex Apostolorum discipulis diligenter quærere, *quid Andreas*, *quid Petrus* dixerit, quid alii Apostoli, quid eorum Discipuli, qui tunc in vivis erant, ignorare potuit, ubi Petrus fuerat, cujus dicta ab ipsius discipulis acceperat?



GREGORII CORTESII

DE ROMANO ITINERE

DIVI PETRI

LIBER SECUNDUS.

PERSUASIO I.

Uthores, qui dicunt Petrum Romam venisse, non consentiunt inter se de tempore quo venerit. Nam Orosius dicit venisse in exordio regni Claudii, Hieronymus dicit anno II. Claudii, Fasciculus temporum dicit anno IV. ejusdem Claudii, Passionale de vitis Sanctorum dicit anno XIII. Claudii. Praeterea mira varietas invenitur in Petri successoribus numerandis. Nam quidam post Petrum immediate ponunt Clementem, ut Tertullianus de praescript. & Hieron. in cap. 52. Isaiae: alii post Petrum ponunt Linum, & postea Clementem tertio loco, ut Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & Augustinus in ep. 165. Alii post Petrum ponunt Linum & Cletum sive Anacletum, & tandem Clementem quarto loco, ut Irenaeus lib. 3. cap. 3. Eusebius in Chronico, Epiphanius haeresi 27 & Hieronymus de viris illustribus in Clemente. Adde quod isti omnes ex Cleto & Anacleto unum faciunt. Igitur nihil certi statui potest. Discordia enim authorum argumentum est falsitatis.

DISSUASIO.

PRima igitur persuasio, diversitati, quæ inter authores est, inniti videtur. Quod si maxime esset, non tamen illico esset consequens falsum esse quod asserunt. Quot namque historias legimus, quas qui scripsere non omnino in temporibus consentiunt, cum de rebus ipsis nulla sit ambiguitas. Et ut omittam extera, nonne idem in sacris historiis contigit, in quibus, quoniam neque Moses, neque Jesus Nave, neque Samuel, neque Esdras, nec cæteri qui scripserunt, aut Olympiadibus, aut annis, aut alia simili ratione, ut græci latinique scriptores, annotarunt tempora, varia deinceps de rerum gestarum temporibus, authores prodiderunt? Mosen scribit Tertullianus annis trecentis ante Trojæ excidium fuisse, nongentis Lactantius, aliter alii. In quam multis discrepat ab Africano Eusebius, ab utroque Orosius. Cum igitur tam variæ sint, tamque in multis diversæ sententiæ, illud quidem fieri non potest, ut plus una vera sit, nec tamen contra necesse est, ut falsæ sint omnes; quoniam non de re gesta, sed de tempore tantum dubitari contingit. Id' vero quod nos quærimus de prima Petri profectione ad urbem Romam nihil habet controversiæ. Hieronymus namque anno Claudii secundo, Orosius per initia Imperii ejus evenisse scribunt, quibus in verbis quid contrarium sit non video (*a*). Nam de *Fasce* illo *temporum* a Persuasore citato, etsi is ego sum, qui non libenter de scriptore aliquo gravius judicare velim, cum omnes quoad ipsorum fieri potest, pro communi omnium utilitate laborant, illud tamen nunc cogor dicere, in Fasce illo non ordinis, non temporum, non denique veritatis ullam rationem haberi: & si singula exequi vellemus, in quibus peccasse convincitur, doctis, ut opinor supervacuum videri potest; apud quos jam ejusmodi de illo præjudicium factum est, ut quosdam audierim qui *Fascem mendaciorum* non temporum appellarent. Picus certe in defensione Origenis festive simul & graviter opus illud exagitat. Nam de libro, qui Sanctorum vitas continet a Persuasore citato, superfluum est omnino loqui. Præter enim eadem cum fasce illo peccata, scimus (authore Hieronymo) quod ad Apostolos attinet, nihil

(*a*) Si enim regnum Claudii tres in partes dividas, idest in exordium, medium, & finem annum secundum ad exordium pertinere videbis. Cum Hieronymo in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. in Petro, & Orosio hist. lib. 7. a Cortesio laudatis, consentiunt Eusebius in Chronico, Ado Trevirensis in Martyrologio, omnesque illi auctores; qui Petrum asserunt Romæ sedisse annis xxv. & anno xiv. Neronis obiisse, videlicet Damasus, Isidorus, Beda, Freculphus, Ado Viennensis, aliique. Neque enim sunt anni xxv. usque ad annum xiv. Neronis, nisi a secundo Claudii numerare incipiamus.

hil esse sincerum (*a*). Ejusmodi igitur authores, si quis in deliciis habere voluerit, per me habeat licet: nos certe æmulos non habebit. Cæteri vero qui posterius scripsere, & quos Persuasor hic citat, a Hieronymo, Eusebio, Orosioque non dissentiunt; ut ibi mirus sit authorum consensus, ubi hic noster potissimum super eorum dissensione innitebatur. Nam quod ait, *si Petrus Romanorum fuit Pontifex, dicant quis in locum ipsius sit suffectus*, nihil est, quod facilius explicare possim (*b*). Clementem enim dicam, & eo potissimum authore, qui proximus fuit temporibus Apostolorum: Tertulliano inquam in libro *de Præscript. hæreticorum* (cap. 32.), qui cum aliquot Apostolicos viros enumerasset (sic enim ipse discipulos Apostolorum nominat) qui præceptoribus in pontificatu successissent, *ordinatum* scribit a B. Petro *Clementem*, *Romanum Episcopum*. Chrysostomus quoque in eo loco epistolæ ad Timotheum quem citavimus: *Ajunt*, inquit, *secundum a Petro Linum fuisse Romanum Pontificem*; sciens scilicet priorem illo fuisse Clementem. Hieronymus porro nihil affirmat, plerosque tamen Latinorum ait Tertulliano accessisse. Enimvero ipsemet Clemens in epistola ad Jacobum Episcopum Hierosolymitanum, si illam recipere velimus, illud ipsum quod Tertullianus, scribit. Demumque totidem fere verbis repetitum est a Simeone, quem Græci *Paraphrasten* vocant. Addam præterea Eucherium prius in Lerina Insula Monachum, deinceps Episcopum Lugdunensem, qui eadem ætate qua S. Augustinus vixit, non minus celebrem eloquentia, quam sanctitate, qui in epistola ad Valerianum ait: *Cle-*

(*a*) Merito igitur tum *passionale de vitis Sanctorum*, tum *fasciculus temporum* a Cortesio nostro contemnuntur, præsertim quum fasciculi illius author Marianum Scotum sequutus sit, qui secum ipse & cum veritate apertissime pugnat. Ait enim Marianus Scotus in suo Chronico, Petrum anno iv. Claudii Romam venisse, postremo anno Neronis obiisse, & tamen sedisse in Romano Episcopatu annis xxv. & mensibus duobus, quæ nullo modo inter se cohærent. Regnavit enim Claudius in universum annis xiii. mens. viii. diebus xx. Nero autem regnavit annis xiii. mens. viii. diebus xxviii. testibus Dione Cassio, Svetonio Tranquillo, Eusebio, & ipso etiam Mariano Scoto. Nam quod in Chronico Eusebii tribuuntur Neroni an. 14. m. 7. d. 28. plane est, errore librariorum factum esse; siquidem postea cum anni singuli numerantur, non inveniuntur nisi 13. & aliquid amplius. Jam vero hæc tempora Claudii & Neronis simul juncta non efficiunt majorem summam quam annorum xxvii. mens. iv. dierum xviii. ex quibus si tollas annos iii. menses v. dies xviii. quos vult Marianus Scotus effluxisse de imperio Claudii antequam Petrus Romam veniret, soli supererunt anni xxiii. menses xi. Igitur aut Petrus obiit post Neronem, aut non sedit annos vigintiquinque.

(*b*) Nos vero non adeo id *facile*, ut sibi Cortesius persuadet, *explicari posse* putamus, neque veremur Persuasori concedere tam varias esse tamque inter se discrepantes veterum scriptorum de proximis B. Petri Apostoli Successoribus opiniones, ut nonnisi difficillime aut etiam omnino certa ratione eorum series ac tempora possint definiri. Etsi enim plane ignoraremus, quis Petro proxime successerit, non tamen propterea in dubium revocari debet an aliquis successerit.

Clemens vetusta prosapia senatorum , atque etiam ex stirpe Cæsarum omni scientia refertus , omniumque liberalium artium peritissimus , ad hanc justorum viam transit , itaque in ea excellenter effloruit , ut Principi quoque Apostolorum successor extiterit . Nec in hac parte Græci a Latinis discrepant , etsi aliqui dixerunt in exercendo Pontificatu , Linum Cletumque præcessisse . Siquidem omnes consentiunt , vivente adhuc Petro , qui fere toto tempore sui Pontificatus absens fuit , illos Romanæ Ecclesiæ curam gessisse ; mortuo deinde Petro , Clementem cui ab illo designatus fuerat , successisse . Hoc Rufinus in Proœmio interpretationum ipsiusmet Clementis Recognitionum , complurésque alii affirmavere . Quod si daremus , nescire nos quis Petro successerit , num idcirco statim sequeretur , Petrum Romæ non fuisse ? quæro quis locus argumentandi sit , qualis sit hæc objectio ; quam si concesserimus , nihil tamen inferior causa nostra futura sit . Quod rursus dicemus de illa nominum Pontificalium congerie , de quorum temporibus dubitat Persuasor noster .

PERSUASIO II.

Petrus non potuit Romam venire ante XVIII. annos a passione Domini ; nam cum fieret Concilium Hierosolymitanum Act. 15. adhuc erat Petrus in Judæa ; factum est autem illud Concilium anno XVIII. a passione Domini , ut colligit B. Hieronymus in cap. 2. ad Galat. Nam Paulus post annos tres a conversione sua venit in Hierusalem videre Petrum , Galat. I. Deinde post annos XIV. rediit in Hierusalem ad Concilium , Galat. 2. quibus si addas unum annum , qui fluxit a passione Domini , usque ad conversionem Pauli , fient anni 18. Adde quod Petrus dicitur fuisse quinque annis in Judæa , deinde septem annis Antiochiæ , tum multis annis aliis in Ponto , Galatia , Cappadocia , Asia , & Bythinia . Nec enim uno die poterat tot locis prædicare . Itaque ut minimum XVIII. anni fluxerunt , antequam Romam Petrus venire posset . Præterea si ante annum XVIII. Petrus Romam venisset , venisset certe anno secundo Claudii , ut nos supra diximus : & id fieri non potest , tum quia illo anno nondum S. Petrus ex vinculis liberatus fuerat , in quæ illum conjecerat Herodes . Contigit enim ea liberatio anno tertio Claudii , ut ex Luca Actor. 12. & ex Josepho lib. 19. Antiquit. cap 7. colligitur , tum etiam quia mandaverat Christus Apostolis , ut ex Hierusalem ante annos XII. non recederent , ut ex Thrasea Martyre refert Eusebius l. 5. hist. cap. 18. Incidit autem annus XII. a Christi resurrectione in annum III. Claudii . Non igitur anno secundo Claudii Petrus Romam venit ; sed post annum IX. qui erat XVIII. a passione Domini . Dicitur autem Petrus sedisse Romæ annis vigintiquinque a Damaso , Eusebio , Hieronymo , & aliis ; supervixit ergo usque ad annum XLIII. a passione Domini : sed tunc jam obierat Nero , imo etiam Galba , Otho , Vitellius , & imperabat Vespasianus . Igitur tempore Vespasiani obiit Petrus . Sed Vespasianus fuit mitissimus Imperator , nec ullos

Chri-

Christianos Romæ occidit, ut omnes testantur. Vide Tertullianum cap. 5. Apologetici, & Augustinum lib. de Civitate Dei 3. cap. 31. Eusebium, Sulpitium, Orosium, & cæteros omnes historicos. Petrus igitur alibi obiit, quam Romæ.

DISSUASIO.

QUod vero ad secundam Persuasionem attinet, etsi satisfacere poterant quæ diximus, rursus tamen quædam repetere non gravabimur. Ita a nobis digesta sunt Petri tempora, ut septem annis dixerimus in Judæa stetisse, deinceps profectum Antiochiam, sumptaque Sacerdotii Sede, eas circuisse regiones, quas & ipse & Hieronymus enumerant: Undecimo demum anno Hierosolymam profectum, & inde a fuga carceris Romam pervenisse anno secundo Claudii; quo fit ut annis circiter quinque moram traxerit Antiochiæ. Quod vero Platina ait de septennio, sibimet dilucide contrarius est; idem enim secundo Claudii anno Romam profectum scribit. Nec quispiam gravis author, quem hactenus legerim, septennium illud approbat. Hieronymus certe & Eusebius non definito tempore, quo ibi moram traxerit, Antiochia Romam profectum scribunt. Mirifica deinde sequitur Persuasoris hujus argumentatio: *quoniam*, inquit, *anno duodevigesimo a Christi morte Hierosolymis erat Petrus, patet illum non antea Romam potuisse proficisci*. At vero istud non dicet Hieronymus, qui & secundo Claudii anno Romam profectum, & Hierosolymis duodevigesimo a Christi morte fuisse scribit, ut nisi impudenter dicere velimus Hieronymum sibimet contrarium, necesse sit confiteri Roma Hierosolymas revertisse. Quod nos tunc accidisse dicimus, cum ab Urbe expulsi fuere Iudæi. Liberrima autem sunt nobis tempora de Petro judicandi ab octavodecimo anno a Christi morte ad septimum & trigesimum. Nec enim ulla in Actis Apostolorum Petri mentio fit post id tempus, in quo quæstio incidit de circumcisione. Quod vero legimus, Petrum Romanum Pontificem annis vigintiquinque fuisse, miror quid in mentem venerit Persuasori opinari consequens esse illum eo intervallo non alio in loco quam Romæ moram trahere potuisse. Quasi minus futurus fuerit Romanus Pontifex, si, quod Paulo contigit, cura omnium Ecclesiarum solicitaretur. At vero assiduum non fuisse Romæ, Hieronymus quoque, quod paulo ante diximus, testatur, ubi secundo Claudii anno Romam profectum dicit, & Cathedram annis vigintiquinque tenuisse. Rursus autem in epistolam ad Galatas quæstionem illam de circumcisione, & congressum Petri & Pauli Hierosolymis reiicit in annum duodevigesimum a Christi morte, septimum scilicet ab eo, quo primum Romam pervenerat. Nihil igitur obstant sacræ litteræ, quin dicamus & secundo Claudii anno Romam pro-

profectum, & postremo Neronis, qui fuit ab illo quintus & vigesimus, actum in crucem fuisse.

PERSUASIO III.

Denique, quod ne nono quidem ejusdem Imperii Claudii anno; illuc venire potuisset Petrus, Tranquillus in Claudio est auctor, qui Christianos tunc temporis Roma fuisse pulsos scribit: = Claudius, inquit, Judæos, impulsore Christo assidue tumultuantes, Roma expulit = . Ubi Orosius addubitat, utrum contra Christum tumultuantes Judæos coerceri & comprimi jusserit, an etiam Christianos simul velut cognatæ religionis homines voluerit expelli. Qui profecto, si vel historiam rerum gestarum ab Apostolis, vel saltem Paulinas legisset epistolas, non ambigeret Christianos Judæorum impietate & versutia Cæsarem ac populum Romanum ad vindictam excitante, una cum iisdem Roma pulsos fuisse. Quippe vel Apostolo ad Romanos in epistola id testante; inter alios namque Christianos, quos salvere jusserat; = salutate (inquit) Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt = ; quos sane, nisi Christianos Apostolus novisset, in catalogo salutandorum Christi fidelium neutiquam reposuisset. Attamen quo modo Judæus genere Aquila ille fuerat, quamvis in Christum una cum conjuge crediderit, nihilominus hunc tamen Lucas in Actibus Judæum Ponticum nominat in hæc verba. = Post hæc (inquit) egressus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma, accessit ad eos, & quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur = . Et nequis dubitet Christianos eos fuisse, addit Lucas in calce capitis duodevigesimi dicens: = Judæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis, hic erat doctus viam Domini & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis, quem cum audisset Priscilla & Aquila assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini = . Hæc Lucas ad verbum, & totum hoc caput declarat Priscillam & Aquilam Christianos ex Judæis factos, Roma una cum aliis expulsos fuisse. Quod iterum docent Paulinæ litteræ, quas novissime jam ubi tempus resolutionis suæ propinquaverat, ad unice dilectum discipulum Timotheum suum miserat; = saluta, inquit, Priscillam & Aquilam = . Unde non solum Christianos, sed sincerissimos quoque Christianos eos fuisse constat, ut pote quos Apostolus data modo occasione numquam non salutabat. Nihil hic miror, quod Stapulensis tam in hac ad Timotheum, quam ad Romanos Epistola innovat, verba apostolica ad hunc modum exponens: salutat vos Priscilla, & Acyla, vel Prisca, & Acyla. Originem, Chrysostomum, Ambrosium,

fium, *&* *tot doctissimos alios interpretes*, *imo & veterem ipsam traductionem*, *cui in hac parte Erasmus nihil derogat*, *hic sequi malo*. *Quid restat igitur aliud dicere*, *quam Petrum ad nonum usque Claudii annum Romam non venisse*? *Qui enim illac venire tunc potuerit*, *cum cæteri omnes cum Judæi*, *tum Christiani inde pellerentur*, *eosque in tantum stomacharetur Roma*, *qui si posthac Romam aliquando venerit*, *ac XXV. illic delituerit annis*, *Vespasiano ejus imputaretur martyrium*. *Quod de benignissimo erga omnes principe credere nefas est*, *&* *nemo est omnium*, *qui hoc affirmare audeat*.

DISSUASIO.

QUod de exturbatione Judæorum ab urbe Roma scribunt Lucas & Tranquillus, nequaquam de Christianis intelligi debere, manifestis ut opinor argumentis ostendimus (p. 223. & seq.) quandoquidem ut Tertullianus cæterique testantur, primus Nero Christianos pœnis affici jussit, & tunc denique per tempora illius calamitatis meminerunt Christianorum Tacitus, Dion, & Tranquillus, cum ante nulla apud ipsos gentis nostræ mentio sit. Petrus vero, Priscilla, & Aquila, & quotquot gente erant Judæi, Roma coacti sunt discedere. At si edicto Claudii utrique comprehensi essent, poterat quidem Tranquillus, vel certe Lucas, ut Judæos, sic & Christianos nominare. Quod vero Persuasor ait de Aquila & Acyla, miror hominem non vidisse, quod opinor omnibus & lippis notum & tonsoribus est, ut Flacci utar verbis, nihil illa inter se differre, & alterum Latinum, alterum Græcum esse. Cum enim secundo nominis Aquilæ careant Græci elemento, similem effectum speciemque esse scribit Fabjus ejus, quod secundum est in nomine *Acyla*. Quare quod nos dicimus *Quintum*, illi (1) *κοίντον*, Varrone quoque id attestante initio *lib. quinti de lingua latina*; ut patet apud Josephum de *Cyrino*, qui *Quirinus* est apud Latinos, licet apud Lucam (2) *Cyreneus* legatur, & apud Paulum in *κουάρτῳ* qui est quartus.

PERSUASIO IV.

PErgamus jam eo ordine ostendere, *ne ad vigesimum quidem annum post Christi passionem*, *vel in cælum Ascensionem*, *Petrum Romam venire potuisse*. *Quod ex verbis Apostoli*, *a suspicione apud Galatas sese purgantis clarissimum est*. *Dicit enim in ea quam ad Galatas dedit epistola*, *non a*

(1) Sunt nomina propria Latina, Quintus, Quartus. Ab Auctore ponitur.

(2) Cyreneus qui est apud Lucam Κυρήνιος Cyrenius.

quoquam hominum, sed solo Christi munere, Evangelicum ministerium sibi contigisse, & quod dixerat, ne cuiquam videretur falsum, probat, inquiens, post miraculosam suam ad fidem Christi conversionem, non in Hierusalem ad Apostolos esse profectum, sed protinus in Arabiam abiisse, tandem iterato Damascum repetiisse, & tum tertio loco primum tribus revolutis annis, Hierosolymam videndi Petri gratia petiisse: post quindecim autem dies cum Petrum & Jacobum fratrem domini vidisset, iterum Hierosolymis relictis, in partes Syriæ & Ciliciæ devenisse. Qui deinde assumpto Barnaba & Tito, post integros quatuordecim annos rursum Hierosolyma rediit, quo Evangelium, quod in gentibus prædicaverat, cum his, qui videbantur columnæ, conferret, & iterum Petrum una cum Jacobo & Joanne illic reperit, & sic certum est totis illis septemdecem annis Hierosolymis & in circumvicinis regionibus Petrum sese continuisse, nec unquam Romam accessisse. Additis enim quatuordecim annis, post quos Hierosolyma reversus erat ad annos tres, quibus proxime post conversionem suam visitaverat Hierosolyma, decem & septem anni proveniunt. Demum postquam Petrus aliquandiu citra Paulum moraretur, Antiochiam veniens, in eum incidit, quem ille acerrime illic objurgavit, & eidem in faciem restitit, eo quod non recte ambulasset ad veritatem Evangelii, & simulationi non modo ipse fuerit obnoxius, sed ad hanc alios quoque jam tum pertraxerit. = Dixi, inquit, Cephæ coram omnibus, si tu cum Judæus sis gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare = ? Inter quam reprehensionem Petri, & pristinam eorum ab invicem dissensionem, aliquid temporis certe intervenerat. Ad hæc post Christi Ascensionem, non mox Paulus Christum agnovit, nimirum qui dum Stephanus saxis obrueretur, enecareturque assistens, mortem ipsius in deliciis habuerat; dicitur enim Actorum cap. 7. = Testes autem deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus, = & ipsemet infra cap. 22. ad Christum queribundus loquitur; = cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum =. Vide quam hoc tempus ab Ascensione Christi ad usque objurgationem Petri Antiochiæ a Paulo factam, facile viginti etiam annos superet, quibus tamen Petrum certum est Romæ nondum ire potuisse, quamvis nec postea unquam illic fuerit. Verum demus hoc adversariis, quod Petrus anno vigesimo Romam appulisset, jam ad tredecimum usque annum Imperii Claudii ille adventus prorogaretur. Quod si huc trabantur 25. anni, quibus Romanam moderatus est Ecclesiam, interim Vespasiani tempori ejus mors irrogaretur. Quod omnes omnium historicorum libri, ut falsissimum aversantur. Producamus huc Romanorum Imperatorum tempora, quo res fiat evidentior. Lucas Evangelii sui cap. 3. anno Imperii Cæsaris Tiberii quintodecimo Christum dicit verbum Dei prædicare incœpisse, qui tandem post tres annos & aliquot menses prædicationis suæ mortem tulit, anno ejusdem Imperii XVIII. vel ultra, Tiberio post passionem ipsius annis tribus imperante. Post hunc C. Caligula annis tribus,

bus, mensibus decem, & octo diebus imperans vita functus est. Claudius anno XIV. imperii moritur. Nero totidem annos in Imperio explesse dicitur. Otho Salvius infra XCV. dies imperium alteri cessit. A. Vitellius VIII. mensibus imperavit; post hunc Vespasianus sese Imperatorem præstitit, sub quo Christiani pacifice Romæ degebant, nullis ab eo vexati persecutionibus. Quæ igitur iniquitas in tam benignissimum Principem hanc reiicere injuriam, tanquam ille Petri interfector aliquando fuerit?

DISSUASIO.

NEC ita multum laborandum fuerat in quarta, ut iste opinatur, persuasione. Jam enim concessimus, Hieronymo teste, duodevigesimo post Christi mortem anno Petrum Paulumque simul Hierosolymis congressos. Illud vero mirum est quod ait: *Certum est totis illis septemdecim annis Hierosolymis & in collimitaneis regionibus Petrum sese continuisse, nec unquam Romam accessisse.* „ Unde istud tibi adeo certum? Opinor Petrus dum claudum curaret, claudus ipse evaserat, qui non potuerit tot annorum spatio Antiochia Romam, rursusque Roma Hierosolymas proficisci: quin etiam objurgationem Pauli, quam iste anno vigesimo accidisse auguratur, in vigesimum secundum, si illi commodum sit, reiiciemus. Polliciti enim sumus multa nos de jure nostro concessuros. At si contentiose agere animus esset, poteramus certe, ut Beda, ante primum Petri adventum ad Urbem omnia hæc accidisse contendere. Poteramus etiam cum iis, quos Eusebius recitat, alterum *Cepham*, alterum *Petrum* esse affirmare. Quid? quod Sophronius ille adeo laudatus a Hieronymo, Petrum etiam dicit ad Hispanias accessisse; nonne eodem itinere Romam profectum potuissemus asserere, quod se facturum Paulus ad Romanos scribit? Attamen id omnino vitare est animus, quod tantopere in aliis ducimus reprehendendum, cum perspecta scilicet jamque cognita veritate luctari. Accidit igitur hæc Pauli redargutio non modo post id tempus, quo Petrus Roma profectus est Hierosolymas, verum etiam post ipsius Pauli cum Petro Jacoboque pacti conventionem; cujus cum Lucas non meminerit, *licentia*, ut Hieronymus inquit, *historiographi*, mentio habetur in epistola ad Galatas. Hac igitur ratione, quod Persuasori tantopere iniquum videtur, nulla fiet Vespasiano injuria, cautumque erit, ne eo nomine a quopiam tanti criminis expostuletur.

PERSUASIO V.

SUB hæc neque tunc temporis, quando Paulus Romanis scripserat, Petrum Romæ fuisse, hæc ipsa epistola ad Romanos porrecta argumento est, quam quidem satis longo tempore ab Apostolo non fuisse descriptam constat, in qua ipse, ut Origenes meminit, omnibus numeris absolutior fuerat, quam dum Corinthiis scripserit, & idcirco post utramque ad Corinthios epistolam hanc scriptam fuisse contendit Origenes. Athanasius vero & post primam quoque ad Thessalonicenses, attamen alteram ad Corinthios, non mox post eam, quæ prior est, exaravit. Apostolus siquidem in ea quæ prior est, incestum quemdam Corinthiorum Ecclesiæ seniorem, qui cum uxore patris rem habuerat, acriter taxat, & ex unitate fidelium emancipandum præcipit; huncque spiritui maligno in potestatem tribuit, modo spiritus in diem Domini Christi Jesus salvus fieret. In altera vero postquam ille resipuit, ac admissum digna compunctione ac pænitudine (sic) deflevit, rursum unitati membrorumque Christi communioni restitutus est. Ac tandem post missas ad Thessalonicenses litteras, ubi jam tertio Corinthum venerat, per Phæbem Cenchreensem fæminam ad Romanos epistolam direxit, in cujus calce multos fratrum nominatim salvere jubet, & qui pridem illius opera in Christum crediderunt, & qui quapiam in eum dexteritate usi sunt. Tum qui Ecclesiæ illius antistites ac seniores fuerunt, veluti Narcisum, Andronicum, Juniam, Priscillam & Aquilam. Qui igitur fieri potuit, si Paulus Petrum tunc Romæ fuisse credidisset, ut digna hunc salutatione non dignaretur, cujus ille observantissimus esse, & nihil honoris ei non deferre pro sua canicie, & Apostolatus honestate debuerat? Sed ineluctabilis est ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuisse.

DISSUASIO.

SEquitur difficile illud & ineluctabile argumentum; quod ad Romanos scribens Paulus Petrum non salutarit, omnino parum urbane & ab officio discedens; siquidem tum Petrus Romæ fuit. Quid vero? peccatum ne Pauli confitebimur? qui nec ad Hebræos scribens nominatim Jacobum salutavit? Sed dicent, neminem ibi salutari; fortasse etiam Pauli negabunt esse epistolam. Alio igitur confugiendum est. Nec enim illud dicere audebimus, aut immemorem Paulum, aut ab eo Petro contemptum. Cum igitur Persuasor ipse confiteatur, post secundam ad Corinthios, prioremque ad Thessalonicenses, epistolam ad Romanos scriptam fuisse, cum jam tertio Corinthum venisset, ipse idem nodum solvit, qui ante implicuerat. Satis vero constat per Neronis tempora, aut certe postremis Claudii annis scriptam, in qua ait: *Salutant vos Timotheus cooperarius meus & Lucius & Jason*. Enimvero Timotheus

motheus jam elapsis viginti & eo amplius annis a Christi morte adhæsit præceptori. Dimisso enim conventu Hierosolymitano, in quo de circumcisione actum est, Paulus profectus est Antiochiam, nec multo post accidisse par est, & Persuasor ipse concedit, quæ de Petri redargutione scripta sunt in epistola ad Galatas ab ipsomet in vigesimum annum a Christi morte rejecta. Nam ut Apostolorum acta narrant, orta inter Barnabam & Paulum disceptatione, post eum quem diximus conventum & digressum ab Antiochia, pervenit Paulus Derben & Lystras, ubi erat discipulus nomine Timotheus, cui cum testimonium redderent fratres, qui erant Lystris & Iconii, voluit illum Paulus secum proficisci. At vero vigesimo anno a Christi morte, qui undecimus fuit Claudii, satis ostensum est, Petrum Romæ non fuisse, nec deinde ad annum usque trigesimum septimum, qui fuit Neronis tertiusdecimus. Heic vero instabit Persuasor, cum scriberet Paulus ad Romanos, Priscillam & Aquilam ibi fuisse, qui simul cum Petro Roma discesserant. Sed liquet authore Origene in ejusdem epistolæ commentariis, jam iterum ipsos illuc revertisse. Ait namque Paulus; *Salutate Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea cervicem suam supposuerunt*. Sed cum primum Roma cum Petro discedere sunt coacti edicto Claudii, nondum pro Paulo cervices supposuerant, quos tum demum Corinthi nactus est Paulus, cum Roma profugi in Achajam pervenerunt, ut Apostolorum Acta testantur. Si igitur, ut manifeste ostendimus, non ante decimum Claudii annum scripta est epistola, fortasse & illud consequens est, nec temporibus Claudii fuisse datam, cujus edicto Judæi Urbe Roma prohibiti fuere. Quare superest ut dicamus Romæ Petrum ea tempestate non fuisse, qua ex Cheneris portu Corinthiaco epistolam per Phœbem dedit Apostolus ad Romanos. Enimvero quod Persuasor dicit de ordine epistolarum Pauli ex Athanasio, fateor me numquam opus illud Athanasii legisse. Sed nec Hieronymus, qui omnium fere ejus ætatis commentationes enumerat, nec in Athanasii Epicedio Nazianzenus, nec is, qui fere illius authoritate utitur, Damascenus ejusmodi commentariorum meminere. Video autem Persuasorem credidisse commentarios Theophilacti, qui passim conversi habentur, esse Athanasii; quod falsum esse, ex authoribus, qui in eo opere citantur cautus lector animadvertere poterat, cum quidam illorum posteriores Athanasio fuerint. Devenerunt autem ad manus meas Theophilacti Commentarii in totum novum Testamentum Græce scripti; in quibus illi quoque sunt, qui latine sub nomine Athanasii circumferuntur, ea præcipue de causa, quod ita ab interprete sunt inscripti, accedente etiam Theodori Gazæ authoritate. Quæ res autem errori causam dederit, satis constituere non potui.

PER-

PERSUASIO VI.

Accedit & istud ad corroborandum, quod Petrus ad ea tempora, quibus Paulus Romanis litteras destinaverat, Romæ non fuisset; quia divus Ambrosius super epistolam ad Romanos, in quibusdam vetustis codicibus dicit, se legisse, Narcissum illo tempore Romæ presbyterum fuisse, cujus domum salvere jubet. Hic tamen (inquit divus Hieronymus) officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes . . . . . Porro apud primitivam Ecclesiam nulli fuerunt qui dicerentur Summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi: nempe quæ duos solum Ecclesiasticos habuit ordines Presbyteros videlicet, & Diaconos, ut ex ea claret, quam Philippensibus Apostolus e Roma dederat epistola: = Paulus (inquit) & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis qui sunt in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus =. Nam iidem vocabantur presbyteri, episcopi, vel seniores, ut ex epistolis Paulinis est manifestissimum. Quin in Actis quoque Apostolorum ad Ephesinæ Ecclesiæ presbyteros inquit: = quia vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei = & Petrus, qui & ipse Presbyter multarum Ecclesiarum fuerat, ad presbyteros dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ scribens, seniorem se nominat, dicens: = seniores ergo, qui in vobis sunt obsecro, consenior, & testis Christi passionum. = Et ut regrediamur ad priora, presbyteri dicebantur, qui Ecclesiis veluti quidam proceres præerant. Unde Apostolus in priori ad Timotheum epistola: = qui bene (inquit) præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. = Et ad Titum: = Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut ego præscripsi tibi. = Igitur hic Narcissum, presbyterum seniorem, aut Episcopum Romanæ Ecclesiæ fuisse intelligimus. Qui non modo ejus, sed & aliarum circumjacentium Ecclesiarum & Christifidelium curam gerebat, cujus etiam familiam, ob ingenuas ejus virtutes, Paulus salutare præcepit. Insuper Andronicus & Junia duo e septuaginta duorum Apostolorum numero, ut Origenis est opinio, Romæ ea tempestate fuerant, quos hac prærogativa honoris, ad Romanos in epistola salutat Apostolus: = Salutate (inquit) Andronicum & Juniam cognatos meos, & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo Jesu. = Adde quod Priscilla & Aquila, ut Ambrosii suffragatur authoritas, non ociose Romam venerunt, qui quoniam propensiores erant in devotione, ideo ad confirmationem Romanorum missi fuisse intelliguntur: de quibus ad hunc modum Paulus loquitur; = Salutate Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt = . Ea propter quid opus Roma tunc habuerit Petro veterano, & jam viribus defecto, non conicio. Nempe cum habuerit

rit legitimum presbyterum Narcissum, Apostolos Christi doctrina insignes Andronicum, & Juniam, & cooperatores in Evangelio non contemnendos Aquilam & Priscillam. Sed hoc citra omnem controversiam verum est, quod Romæ tunc temporis non fuerit: nam si neminem non salutat eorum Apostolus, vel qui seniores fuerant, vel qui cognati & cogniti, quomodo unum Petrum non salutasset, quocum firmissimam amicitiam & societatem jampridem iniverat, & ejus videndi desiderio antea Hierusalem petere non dubitaverat? & hinc apparet usque ad Neroniani Imperii tempora Petrum Romæ non fuisse. Quod si viginti & quinque annis illic resederit, a quo tandem mortem passus est? Hic tussiunt Romani sycophantæ, non secus ac indocti quique Cantores, qui locum fecerunt proverbio, hæsitatio cantorum (ut communiter dicitur) tussis est.

DISSUASIO.

NUlla mihi cum Persuasore controversia est de *Archiepiscopis & Patriarchis*, siquidem nemo quod sciam tam ignarus antiquitatis fuit, qui Apostolorum temporibus hæc nomina dixerit in Ecclesia extitisse, cum superessent ipsi ad quos omnia referebantur. Nam quæ fertur Anacleti epistola de ejusmodi ordinibus, fictitium nescio quid nobis subolere videtur. Sed & quandoque eosdem fuisse *Episcopos* & *Presbyteros*, Hieronymus in Commentariis epistolæ ad Titum, dilucidius ad Evagrium scribens nos admonuit, ad tollendaque dissidia, & regendam multitudinem sequenti tempore, toto orbe decretum fuisse, ut unus cæteris præesset. Quod item opinor postea de iis, quos nunc *Archiepiscopos & Patriarchas* vocant, accidisse, ordinatos scilicet ad tollendas controversias, quæ in unaquaque provincia oriebantur. Hieronymus enim contra Luciferianos, & Bizantinæ & Piceni provinciarum *Episcopos* nominat. Illud vero mihi commune est cum Persuasore, quod jam diximus Petrum eo tempore Romæ non fuisse, quo ad Romanos scripsit Apostolus. Quod vero *Episcopum Romanum* quempiam Narcissum nominat, vix mihi persuadere potest eadem credidisse quæ scripsit: diu enim credidi dum hæc legerem, Petro urbis Romæ sacerdotio dejecto, & velut redacto in ordinem, vel Apostolum quempiam, vel aliquem ex iis qui proxime ad Apostolos authoritate accedebant suffectum iri. In Urbe enim totius orbis longe principe, & omnium pene gentium victrice, & rerum domina, quo ex omnibus regionibus infinita illa hominum multitudo confluebat, ubi statim ab ipsa Christiani nominis prædicatione conventus pro copia civitatis amplissimi sunt instituti, ubi denique futurum erat, ut primo adversus impetum, gladios, cruces, ignesque Neronis, non verbis jam, sed cervicibus & sanguine decertarent; consentaneum est parem tanto oneri, & non solum moribus

&

& sanctitate, sed loco etiam & authoritate inter caeteros praecipue ordinatum. At hic noster Narcissum quemdam expiscatus est, ut duplicem jam de Narcisso fabulam habeamus, quem nec Ambrosius omnino affirmare audet Presbyterum fuisse, sed tanquam vagum quendam, & ut ita dicam erronem describit. Mirum praeterea cum adeo exacte omnes Romani Pontifices a doctissimis diligentissimisque viris enumerati sint, in illo saltem fasciculo temporum aut supplemento alicujus (1) χρονικῶν Narcissum, nec inter tot somnia aliquando observatum. Quatuor certe insignes Ecclesias videmus, dum adhuc fides adolesceret celebrari, & eae potissimum fuere, quae in splendidioribus amplioribusque civitatibus congregatae erant. Rationi quoque consentaneum est, quo plures mortales confluebant, ibi caeteris honoratiores fuisse praefectos. Quaere qui fuere Pontifices: eo ordine, quo sibi singulatim successerunt, a majoribus nostris memoriae sunt commendati. Quod non item de caeteris accidit. Sic Hierosolymis post Jacobum Simeon, Justus, Marcus, Cassianus, Publius: Alexandriae, quae ea tempestate, ut Strabo, Josephus & Marcellinus testantur, post Romam principem locum in universo orbe obtinebat, Marcus, Annianus, Abilius, Cerdos: Antiochiae autem, ubi primum Christiani appellati sunt, post Apostolos Evodius, Ignatius, Eros. Similis quoque cura fuit Romanos Pontifices recensere, & eo diligentius, quo plus caeteris omnibus urbs ipsa praestabat. Cum igitur numerent Petrum, Clementem, Linum, & qui sequuntur, quis istius Narcissi unquam nomen audivit? Rogo quae nova haec fingendi licentia est, historiasque evertendi, ut quidquid nobis in mentem venerit, etiam contra receptas Sanctorum opiniones, nequidquam diffidentes a sacris litteris, illico verum esse contendamus? Hac certe ratione, nemo erit qui non sibi ex cubiculo historiam possit proferre. Sed videamus Persuasor hic quibus argumentis utitur: *Christum*, inquit, *praedicabat Narcissus*: audio: non Romae, si credis Ambrosio. Age vero, Romae etiam praedicabat, quasi non caeteri idem facerent, Andronicus, quem insignem inter Apostolos & ante se in Christo fuisse, Paulus scribit; Urbanus illius auditor, caeterique complures, quos longum est enumerare. Dicamus & quempiam illorum, vel certe si ita libuerit omnes simul Romanos Pontifices fuisse: dum Petrus exturbetur, turba non deerit eorum, qui Pontifices dici possint.

PER-

(1) Chronicorum.

PERSUASIO VII.

HIc producam, quod Apostolus ad Galatas narrat in epistola: = Creditum, est, inquit, mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis, qui namque operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes =. Tandem manifestat, quomodo pactus fuisset cum Jacobo, Petro, & Joanne in Synodo, quæ Hierosolymis super legalium observatione habita est, ut ipsi in circumcisionem, hic vero inter gentes cum Barnaba prædicatum proficisceretur. Quomodo itaque tam cito Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes sibi usurpare, cum Roma totius paganismi mater tunc fuerit? Quin imo si circumcisionis fuerat Apostolus, quomodo Romæ tot annis, si usque ad Pauli videmus illuc adventum cum Judæis nihil ei fuerat negotii? Adveniente namque illuc Paulo, ut Lucas in Actis Apostolorum ait, dicunt Judæi ad eum: de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur, rogamus etiam te audire quæ sentis: nos enim neque litteras accepimus de te, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit, aut loquutus est quid de te malum. Quos tandem copiosa illa ac uberrima oratione sua alloquutus est Paulus a mane usque ad vesperam, sermonem protrahens. = E quibus aliqui dictis crediderunt, quidam vero renuerunt credere, & nunquam antea audita auribus audientes, ad invicem tumultuabantur, & multam inter se habebant quæstionem =. Quid ergo Romæ tanto temporis intervallo faceret Petrus, si Judæis ea quæ a Paulo audierant, nova & inaudita videbantur, nec aliquem se prius audivisse dixerunt, qui ejus sectæ instituta & ritus eis declarasset? Et proinde Paulum, ut quæ sentiat, diceret, velut uno ore postulabant omnes. Videat qui vult, quam sit tutum Romæ Petrum aliquando fuisse credere.

DISSUASIO.

QUod adhuc maxima cum animi tranquillitate a me factum est, ut maledictis & calumniis temperarem, id usque ad calcem diligentissime me observaturum esse confido, quando nullo odio Persuasoris aut stomacho, sed veritatis amore ad scribendum accessi. Enimvero si unquam locus fuit, in quo conviciis agendum esset, hic potissimum occurrebat, ubi adeo manifeste verbis Lucæ contradicit, ut omnino ipsorum alterum mendacii reum oporteat constituere. Ait namque, *Judæos qui Romæ Pauli orationem audiverunt, aliquos quidem credidisse, aliquos vero renuisse credere*. Hactenus recte. Quod vero subdit; *& numquam antea audita auribus audientes ad invicem tumultuabantur*; istud certe omnino apud Lucam non legi; quin imo id quod magis contrarium videri possit. *De secta autem hac notum est nobis*, inquiunt, *quia ubique ei contradicitur*: quomodo ergo *nobis notum*, si antea inauditum? Nonne illud præ-

terea certum est, Paulum cum ad Romanos scriberet, *quorum fidem annunciari* dicit *in universo mundo*, plerosque esse omni scientia, ut cæteros admonere possent, id potissimum tentasse, ut Judæos gentilesque (qui crediderant) invicem conciliaret? Nempe illi Judæi erant, qui audito Petro crediderant. Illa omnis Romana Ecclesia fidem secundum Deum acceptam referebat Petro. Etsi enim authore Clemente, anno a Christi morte septimo Barnabas Romæ Christum nunciaverat, constat tamen ad paucissimos ejus prædicationem pervenisse. Nam quod ait Persuasor, si ita dixerimus consequens esse ut Petrus temere in alienas possessiones invaserit, tam facilis obviaque est responsio, quam objectio ipsa levis & inconsiderata. Si enim Persuasor recte meminisset quo tempore dicant authores Petrum Romam profectum, rursusque quo tempore pactum inierit, ut Paulus inter gentes, ipse vero Judæis prædicaret, illud ipsum posterius integro septennio invenietur. Aliud enim undecimo, duodevigesimo aliud anno contigit a Christi morte. Nec si secus esset, statim mihi videretur pactum illud ita intelligi oportere, ut utrique non licuerit ubicumque commodum accidisset, annunciare, sed ut præcipua cura esset Pauli in gentibus, Petri autem inter Judæos. Alioquin circumscriptis sibi quibusdam veluti cancellis, Petrus ipse cæteris longe inferior inveniretur, quibus aliquo pacto interdictum non erat ubi licuisset prædicare. Nonne ipsa Babilon & Arabia, ubi annunciasse Petrum dixit se credere Persuasor, gentium erat, non Judæorum? Quin & Paulus deinde in Sinagogis & Judæa publice annunciavit. Notum est præterea quod Petrus dixit in Actis (*cap.* XV. *v.* 7.) *Viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum, audire* GENTES *verbum Evangelii, & credere*. Num pactum Apostoli inirent, quod divinis decretis esset contrarium, ut Petrus Judæis solum, non etiam alienigenis Christum annunciaret?

PERSUASIO VIII.

Jam ad ea usque pervenimus tempora, quibus Judeorum coactus insolentia, Paulus ad Cæsaream appellavit; ac Romam deductus, catenis horrendis in carcerem conjectus est, illicque in conducto suo, quod ei carceris fuerat loco, toto biennio permansit. Nec profecto parva hæc erat mansio, ut Hieronymus in epistolam ad Philemonem loquitur, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant. Nam suscipiebat omnes, *ut in Actis Lucas scribit*, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione, *allectans ad fidem Christi homines, ut verbis, ita & litteris. Multos enim eo concionante, non modo plebeos, sed & de Regia Neronis, Christi fidem suscepisse, ipsius epistolæ ostendunt. Ad Philippenses enim e conducto suo scriptitans*: Salutant vos (*inquit*) omnes sancti ac quidem maxime, & qui

de

de Cæsaris domo sunt. *Quin epistolas quoque aliquot in vinculis dictaverat, pia admonitione & Christiana pietate plenas, ne Ecclesiæ Christi pulchre ab eo institutæ, ejus absentia, in deterius laberentur. Nam quos viva voce convenire non poterat, scriptis tantisper admonebat, ne suæ professionis obliti, a Christo aliquando exciderent; præcipue Galatis post Pseudoapostolos retro a Christi fide ac suis rudimentis abeuntibus, epistolam e Roma scribere non dubitavit; verbis etiam asperioribus eos commonefaciens, ne vafritia & astu a Christo abduci sese paterentur: Deum obtestans, quod quæcumque illis in mandatis dederat, ea non ab hominibus, neque per homines nactus unquam fuisset, sed sola benignitate Jesu Christi. Nimirum quibus tam firmiter credi oporteat, ut si Angelus quoque, vel ipsemet, secundario ad eos aliquando venerit, ac diversum quiddam docere voluerit, profanum ac execrabile id fieret, in qua epistola Tetri aliquot locis meminit, cujus testimonium in hoc negotio, ut Galatis quod dixerat facilius persuaderet, mirum in modum illi fuerat necessarium. Non tamen usquam ejus mentionem facit, an Romæ ipsum tunc habuerit collegam, vel si eis quæ scripserat, & ille subscribere voluerit. Qui certe si tum Romæ fuisset, saltem ejus nomine eos salutasset, quo facilius tam eminentis Apostoli vocabulo permoti resipiscerent, & ab extranea doctrina segregati, ad mentem redirent quandoque. Attamen nihil horum fecerat Apostolus, quod maximo est testimonio, neque ea tempestate Petrum Romæ fuisse, cum tamen viginti quinque anni, vel secundum quosdam viginti septem a Christi passione aut ascensione præterierint. Ceterum neque in ea, quam ad Ephesios Romæ scripserat epistola, ullam ejus mentionem facit, cujus tamen hæc semper alias fuerat consuetudo, ut Collegarum suorum nomine in Christum credentes salutaret.*

DISSUASIO.

QUod quatuor deinceps capitibus persuadere nititur Persuasor, paucis omninoque iisdem verbis dissuaderi potest. Jam enim dedimus ab eo tempore, quo sub Claudio expulsi fuere Judæi, Romam Petrum non revertisse usque ad postrema Neronis tempora. Quare nec quando Paulus a Judæa deductus est, Romæ fuit. Accidit enim adventus Pauli per initia regni Neronis, siquidem Lucæ historiam usque ad quartum illius annum pervenisse dicit Hieronymus. Nec tamen ita diu Romæ permansit, profectus ad Occidentis partes. Minime igitur mirum, si in epistolis, quas Romæ conscripsit, nulla prorsus de Petro mentio habeatur. Atque hæc quidem responsio tres etiam, quæ proxime sequuntur, persuasiones omnino tollit.

PERSUASIO IX.

Indicio sunt Petrum tempore Pauli Romæ non fuisse , & litteræ , quas per Epaphroditum ad Philippenses dederat Apostolus , in quibus multorum eos admonet , & quæ erga illum tunc temporis gerebantur , manifestat ; maxime autem quantum illic in Evangelio profecerit , dicens , sua occasione Romæ Evangelium prædicari ab omnibus , eodem quidem impetu , quamvis diverso studio . Quidam enim vinculis & constantia ipsius animati , sincero affectu & vera Christiana intentione fidem Christi , omni timore exuto , evulgabant : quidam vero sola cupiditate nocendi Paulo , ad Evangelizandum Christum trahebantur . Putabant enim fore , quod Neronis tyrannis cui nomen Christi fuerat perosum , provocata iracundia , Paulinæ gloriæ in Evangelio facesseret , ac tyrannus in eum , uti ejus professionis auctorem , gravius animadverteret . Fit enim quæ maxime nobis nocitura sciverint , sive hoc ad nostram perniciem inimici palam evulgant . Tum ait Paulus , sibi non esse curæ , dum quovis modo Evangelium annuntietur , & Christus Orbi innotescat , sive hoc ad vitam sive ad mortem illi sit cessurum . Maluit enim cum Evangelii lucro mori , quam ex profectu vivere . Res profecto miraculo digna , si Petrus tunc Romæ fuerat ; quemadmodum multis jam annis inibi agere debuerat , quomodo Christi nomen tam moleste a Paulo Roma audierit ; ut subornati in hoc etiam plerique omnes dolosi , sub Christi prædicationis obtentu , Pauli exitium quærerent . Num vero otiosus tot annis illic delituerat , & Christi occultaverat fidem Petrus , timens ne in eum sævisset tyrannus , utque facilius eorum insidias , qui adversabantur Christo , subterfugerit ? Nam si annuatim Evangelium Romæ prædicaverat , ea res non debuit esse Paulo timori , siquidem Roma tot jam annis antea Christum patientissime a Petro audierit . Imo quantumcumque tumultuante Roma , tyrannus ad vindictam irritaretur , in Petrum primitus resultasset hæc injuria , ut pote qui caput ejus negotii fuerit . Ecquid igitur formidarat Paulus ne faba hæc in suo , quod dicitur , cuderetur capite non video . Ad hæc in fine ejusdem epistolæ subdit : Salutant vos omnes sancti , maxime vero , qui de Cæsaris aula sunt ; *maxime prorsus dicere debuit , Petrus omnium nostrum veluti quidam antesignanus . En quam insecurum est dicere , etiam tunc temporis Petrum Romæ fuisse , dum Paulus captivus illuc teneretur , hac persuasione clarissimum est .*

DISSUASIO.

Quam fallax sit arguția, quæ ex eo loco petitur, quod non Petri nomine Paulus eos, ad quos scripserat, salutarit , adeo dilucide, opinor, demonstratum est superius, ut supervacaneum omnino sit pro posteriori persuasionis parte quidquam amplius in medium afferre . Ad prio-

priorem tantum respondebimus, quæ profecto nihil habet momenti quo persuadere possit, Petrum non fuisse Romæ. Neque enim repugnat, ut antequam Paulus Romam advenisset, Petrus una cum aliis ad Christi fidem conversis illic Evangelium aliquandiu docuisset, quamquam brevi tempore in Urbe permanserit, & iidem tamen Christifideles præsentia Pauli magis magisque inflammati vehementius ardentiusque id ipsum facerent, quod antea incœperant. Annon experimur quotidie ligna quæ paullo ante in fornace lentius arserunt, apposita aridiore materia validius accendi? neque jam excitatum ardorem, prioribus lignis imputari, sed huic potius, quod postremo fuit adjectum? ita quid prohibet, quomodo Christi prædicati jam recens exorta flamma Paulo magis adscriberetur, quam Petro, aliisque qui Paulum in hoc negotio præcesserunt? ut interim sileam, quantus ignis præ cæteris Christianæ fidei propagatoribus, in ipsius Pauli pectore flagrabat: ut nemini mirum esse debeat, si per accessum Pauli Evangelii prædicatio magis ac magis incaluerit. Sed & Judæi majori odio Paulum, quam Petrum prosequebantur, præsertim quod pseudo-prophetis, atque evangelistis, qui ex Judæis conversi, circumcisionem & legem una cum Evangelio servari volebant, acerrime Paulus restiterat, & contra eos ad Galatas, ad Hebræos, & ad Romanos scripserat. Postremo, quid prohibet ita verba Pauli interpretari, ut si quæ sibi persecutio excitabatur, communis erat cum Petro, sibi tantum id discriminis a pseudoapostolis creari tamen scripserit, quo eorum cæcam imprudentiam manifestiorem faceret, qui privato in eum odio, Evangelii prædicatione abutebantur? Nihil certe ob eam rem æquus judex Petri dignitati ademptum existimare poterit, si suam causam agens Paulus, reticendum quod sibi commune erat cum Petro (ita fortasse re postulante & tempore) sapientissime & vidit & statuit.

PERSUASIO X.

Colossensibus per Tychicum & Onesimum scribens Paulus, in recessu epistolæ addit: Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus, qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio: Salutat vos Epaphras qui vestrus est, servus Jesu Christi: Salutat vos Lucas medicus charissimus & Demas. *Vide quam omnes nominatim enumeret, qui ei aderant, & cooperatores ejus erant in regno Dei. Hæc est Ecclesia Christi. Gregorius enim, inquit,* sæpe in sacro eloquio regnum cælorum, præsentis temporis Ecclesia dicitur. *Et Christus apud Lucam.* Regnum Dei, *inquit*, intra vos est. *Quas ob res Paulus dicit:* Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei. *Quid ergo Petrus? numquid tamquam veteranus quidam ac emeritus miles in otium se receperat, ut non pro virili e-*

van-

vangelicas adjuvaret partes, cooperatorque in regno Christi non fieret? quod de Petro sentire horret animus: proinde non te habuit tunc Roma Petre: nam si fuisses Romæ & Paulum eundem Christum prædicantem non juveris, ejus jam factionis fuisses Apostolus, quæ non Christum ædificaret, sed destrueret ac demoliretur: omne enim regnum (*Christo dicente*) in se divisum desolabitur, ac domus supra domum corruet.

DISSUASIO.

HÆC persuasio, eadem omnino, quam supra attulimus, responsione dissuadetur, Petrum scilicet per hæc tempora Romæ non fuisse. Qua in re cum Persuasore ipso consentimus, tunc Petrum non fuisse Romæ.

PERSUASIO XI.

ONesimus, quem Phrygem genere quidam fuisse putant, Philemonis Colossæi servus, compilatis rebus quibusdam ipsius, Romam fugiens venerat, illicque Paulo de Christo concionante, audito, Christi nominis factus est candidatus ac baptismate in Christicolarum consortium adscitus. Porro ne quid labis, pristinæ scelestæ vitæ in eo remaneret, conscientiam Apostolo aperuit, & injuriam quam Domino suo intulit, rebus quibusdam illius surreptis, confessus est. Quem Paulus, quia nimium adamarat, non sibi temperare potuit, quin protinus benigno ac scito epistolio eum Philemoni reconciliasset, hanc sibi injuriam in Philemonem benemeritus donari postulans, & si quid damni in re pecuniaria, aut alia quavis, Onesimi profugio accepcrit, pro eo se vadem ponens, omniaque se depensurum ejus loco promittens, & in epistolii principio Philemonem, Apphiam uxorem ipsius, & Archippum Colossensis Ecclesiæ Episcopum salutans, quo id facilius, pro quo interpellaverat, ut sensit Chrysostomus, impetraret, Timothei nomen adjungit, dicens: Paulus servus Christi Jesu, & Timotheus frater Philemoni, &c. *Cur hic Petri nomen in salutatione Paulus supprimit, si Timothei apposuit, qui facilius tam magni Evangelici præconis authoritate motus, offensam forte Onesimo condonasset? Proh! pudet me tot sæculorum, quibus Paulinæ litteræ tineis corrosæ, situ, ac pædore fœdatæ intra angulos delituerant, passimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in Ecclesia subnasceretur, vel sola occurrere potuerit. Quid enim tam manifeste ostendere potuit Petrum Romæ non fuisse, quam hæc ad Philemonem epistola, a Roma per Onesimum transmissa? Sed numquid forte Philemonem, & Presbyterum Colossensem Archippum, nomine Petri salvere jubet Apostolus? Ad finem epistolæ properemus.* Salutant te Epaphras, *inquit*, concaptivus meus, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adjutores mei. *O infelicem Petrum, si tum Romæ fuerat, & Paulum in hoc honestissimo destituit negotio.*

DIS-

DISSUASIO.

PEtrum toto eo tempore, quo Paulus Romæ in domo conducta Verbum Dei libere prædicavit, quoque eas ad Philemonem aliosque litteras dedit, jam supra dedimus, ab Urbe abfuisse, ut mirum non sit, si in epistolis ab Apostolo Romæ conscriptis, nulla prorsus de Petro mentio habeatur. Et sane quisquis observavit, quanta diligentia Paulus suam tueri studeat auctoritatem, is facile perspiciet, quod neque etiam repugnaret, Petrum Romæ tunc fuisse, & tamen Paulum nullam ejus omnino mentionem fecisse. Quoties enim ad Ephesios litteras mittit, semel scilicet ad ipsam Ecclesiam, & bis ad Timothæum eo loci commorantem, & nihilominus Joannis Apostoli, qui tunc erat Ephesiorum Episcopus nusquam meminit? Et rursum ex Italia scribens ad Hebræos, Jacobi tamen Hierosolymitanorum Episcopi nullam omnino mentionem facit. Sed & ad Ephesios cum scriberet e Roma, quemadmodum ante diximus, ne verbo quidem Timothei meminit, qui tunc Ephesi erat. Ceterum cum neque tanti fuisset ea res, quam Paulus ab ipso Philemone postularat, neque satis apparet, quam Petrus cum Philemone consuetudinem ante habuisset, nullam video rationem, qua Petri nomen in ea epistola debuisset adjungi. Inepte igitur heic Persuasor exclamat, inquiens: *Proh! pudet me tot sæculorum, quibus Paulinæ litteræ, tineis corrosæ, situ ac pædore fœdatæ, intra angulos delituerant, passimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus ne in Ecclesia subnascerentur vel sola occurrere potuerit:* quasi non essent prisci illi Theologi in his epistolis pervolutandis diu noctuque versati, Origenes, Tertullianus, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & ceteri Græci Latinique scriptores, quorum nemo ita oculatus fuit, ut hunc errorem deprehendere potuerit, quem jam, si Deo placet, reperit Persuasor. Quod si lectio, sola causa fuit, cur ille his erroribus potuisset occurrere, mirum quanam ratione tot tamque præclara ingenia nulla in re magis, quam in Pauli epistolis exercitata usque adeo cæcutierint, ut ea videre non potuerint, quæ nunc tam acute detegit Persuasor, tot scilicet locis Paulinis repugnare, Petrum Romæ fuisse.

PERSUASIO XII.

PEracto jam dicto biennio, multisque Romæ ad fidem Christi conversis, ac epistolis hinc inde per Ecclesias transmissis, tandem Paulum in libertatem asseruit Nero, e compedibusque dimittere fecit, quod ipsemet ad Timotheum testatur Paulus, dicens: Liberatus sum de ore Leonis. *Captivitas etenim hæc intra hoc quinquennium fuerat, de quo Trajanum Imperatorem*

Sex.

Sex. Aurelius Victor dicere solitum memorat, procul distant cuncti principes a Neronis quinquennio. Adeo enim comis, benignus, affabilis, & modestus quinque primis sui imperii annis Nero fuerat, ut de eo Tranquillus scribens, a pietate hunc imperii exordia fecisse dixerit, & tantum aberat, ut infra hoc quinquennium Nero morti devoveret quempiam, ut moleste & indignanter eis, qui mortis sententiam in aliquem pronunciaverint, pro consuetudine subscribere etiam fuerit solitus. Nam semel admonitus, ut in supplicio cujusdam capite damnati, ex more subscriberet, quam vellem, *inquit*, nescire litteras. *Hic igitur pro sua erga omnes benevolentia, Paulum tunc temporis dimisit liberum: reliquis autem novem Imperii sui annis, in omnem luxum, turpitudinem, truculentiam adeo se effudit, ut impietate omnes facile sceleratissimos etiam homines superasset: quamvis Josephus libro Antiquitatum xx. cap. vi. nimis incertam de Nerone esse historiam tradat. Dicit namque:* multi de Nerone historiam conscripserunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum ejus, neglexere veritatem, alii vero propter odium & ejus inimicitias, sic imprudenter mendaciis involuti sunt, ut aperta reprehensione sint digni. *Ideo saeviente jam Nerone, ac Tyranno, non Imperatore existente, post decennium iterum Paulus in vincula relapsus est, & pejus quam unquam antea ab eo habitus. Unde epistolam illam, quae ad Timotheum habetur, alteram scribens prioris captivitatis meminit his ferme verbis:* In prima mea defensione nemo mihi astitit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum ex ore leonis. *Ubi tunc Petrus fuisse censendus est? Romae revera non fuit: alioqui Paulo causam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & sese defendenti eum non adfuisse, iniquum prorsus fuisset. Quem si ex industria quoque dereliquerit, nulla excusatione deinceps dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius judico, Petrum numquam Romae fuisse credere, quam hanc calumniam, quod Paulum destituisset, in tam sublimem Apostolum rejicere.*

DISSUASIO.

QUO tempore Paulus Romam ab Hispaniis & aliis Occidentis partibus reversus fuerit (si modo illuc profectus est) scriptores non adeo constanter affirmant, ut unum sit quidpiam certum asserere. Conjecturis tamen assequimur circiter postremum Neronis annum id accidisse. Prima autem Pauli defensio eo tempore contigit, ut ipsemet Persuasor affirmat, quo primum ex Judaea Romam deductus est. Cum autem dixerimus ea tempestate abfuisse Petrum, supervacaneum est quaerere, cur Paulo coram Nerone non affuerit.

PER-

PERSUASIO XIII.

Notum est, Lucam Evangelistam, & Apostolicarum actionum historiographum, indivulsum totius peregrinationis Paulinæ fuisse socium, quem ille filii semper dilexit loco, honorificamque ejus mentionem plerisque facit in locis, dicens, illius maximam laudem in Evangelio *fuisse. Nam cum omnes etiam a Paulo defecerint, hic solus numquam ei non adhærebat, non minis, non vinculis, non sexcentis perturbationibus perterritus, cujus historia ad hæc usque tempora, quibus Paulus vinctus e Hierosolymis Romam perductus, ibique in conducto a milite custoditus est, pervenit; veluti ejus rei capite ultimo copiose meminit; quomodo videlicet Paulus Romam perductus fuerit; quomodo fratres, qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appii forum ei obviam venerint; quomodo trium dierum spatio evoluto, Judæos ad se accitos habuerit; quomodo colloquutus cum eis fuerit, quomodo eos confutaverit, & singula ordinatim prosequitur: Nullam tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuisset toto hoc biennio, vel quid rerum Petrus Romæ fecerit interim, dum Paulus verbum Dei ardentissime illic etiam prædicasset. Et tamen tunc temporis hanc historiam fuisse scriptam creditur, quando Paulo Romæ in catenis degenti, ille intrepide ministraverat: qui usque adeo Pauli studiosus fuerat, ut quicquid hactenus de eo comperrerat, cuncta in suam historiam diligentissime congesserit! etiam Hieronymo* de Viris illustribus *attestante*; Lucæ (*inquit*) historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, idest usque ad quartum Neronis annum, ex quo intelligimus in eadem Urbe librum esse compositum. Igitur visionem Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter ceteras ejus res hoc solum ignoraverit? *Hactenus Hieronymus. At quid hoc? Nonne non solum apocryphum, sed plus quam falsissimum erit, Petrum Romam secundo Claudii anno venisse, ibique viginti quinque annis Episcopatum tenuisse? Cujus Lucas in tam præstantissima diligentissimaque historia nullam mentionem facit, qui dubio procul, si tunc Romæ fuisset, non hoc toto biennio otiosus, complicatis, ut dicitur, manibus illic sedisset, vel saltem non sic delituisset, quin a Paulo vel Luca conspici inveririque interdum potuerit.*

DISSUASIO.

Eadem qua superiori persuasioni satisfactum est responsione, & hæc decima tertia dissuaderi potest. Cum enim Paulus vinctus Romam duceretur, Petrus tunc ab Urbe absens erat. Quid igitur mirum, si ejus Lucas in Actis non meminit? Sed demus Petrum tunc Romæ fuisse. Num valebit hæc argumentandi ratio: Lucas ejus non meminit po-

ftremo Actorum Apoftolicorum capite ; ergo Petrus ibidem non erat ? Quid enim Lucas de his quæ toto illo biennio Paulus egit, commemorat, nifi fummatim, & quam pauciffimis verbis ? *Manfit* (inquit) *Paulus biennio toto in fuo conducto, & fufcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipfum, prædicans regnum Dei, ac docens quæ funt de Domino Jefu, cum omni fiducia, fine prohibitione*. Hactenus ipfe Lucas, neque aliud quidquam de hoc toto biennio narrat. Nihil de illis omnino dixit, quos ex domo Cæfaris magna fibi neceffitudine conjunxit Paulus, quorum etiam nomine Philippenfes aufus eft falutare : *Salutant* (inquit) *vos omnes fancti, maxime, qui de Cæfaris domo funt*. Nihil de litteris, quas certum eft Paulum ex conducto fuo mififfe Philemoni, variifque Ecclefis, fcilicet Ephefiorum, Philippenfium, Coloffenfium. Nihil de Pauli raptu ad Prætorium, aut de fua defenfione, cum tamen Paulus ad Philippenfes teftetur, *vincula fua manifefta facta fuiffe in omni prætorio*, ac ceteris omnibus. Quare Hieronymus hunc locum in epiftolam ad Ephefios tractans, *non mirum effe*, ait, *fi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa quæ Paulus fuftinuiffe fe replicat, hiftorici licentia prætermiferit*. Et paulo poft : *Denique primum Epifcopum Ecclefiæ Petrum fuiffe accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omifit*.

PERSUASIO XIV.

Circiter vigefimum feptimum poft afcenfionem Chrifti ad Patrem, ac Neroniani imperii quartum aut quintum annum, Petrum Romæ nondum fuiffe, tam manifeftum eft, quam quod manifeftiffimum. Sed quia neque ultimo Neronis anno, hoc eft poft paffionem Chrifti xxxvii. illuc venire potuerit, hoc deducitur. Quoniam Paulus e manibus Neronis elapfus in Hifpaniam, ut Lyra & alii quidam volunt & partes occidentis iter adornaverat. Ejus enim intentionis Apoftolum fuiffe etiam cum Romanis litteras fcripferat, certum eft. Peractis autem ibi decem annis rurfum ad Neronis manus devenit, & mortem accelerare videns, fcripto Timotheum commonefacit, ut affumpto fecum Marco Romam fefe recipiat, eo quod præter Lucam, nullus jam ei refiduus fuerit collega. Sed quomodo tuis dictis, mi Paule, fidem habere potero, cum tota hæc Romana colluvies a fecundo Claudii anno ufque ad finem Imperii Neroniani, Petrum perpetuo Romæ duraffe exorta voce proclamet .... Cæterum eadem epiftola fcribit : Det mifericordiam Dominus Onefiphori domui, quia fæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit, fed cum Romam veniffet, follicite me quæfivit & invenit .... *Potuit certe Onefiphorus hic a Petro, fi tunc fuerat Romæ, certior effici, quo locorum Paulus fefe Romæ contineret .... Quamobrem veriffimum eft, ad ultimum ufque Neronis annum Petrum Romæ non fuifse, cum nec falvere jubens Timotheum fratrum qui Romæ tunc aderant nomine,*

Pe-

Petrum admemoret; Salutant te Eubolus & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. *Non video cur ex industria supprimere Petri nomen voluisset, cujus alioqui semper fuerat observantissimus.*

DISSUASIO.

DIcat per me *Romana colluvies* (sic enim appellat Persuasor) Petrum a secundo Claudii anno ad postremum Neronis annum assiduum Romæ fuisse: tantum enim abest ut *colluviem* illam discutiam, ut etiam me nescire fatear quos hoc nomine admodum certe contumelioso Persuasor velit intelligi. Hieronymus certe, qui ut puto ex illa colluvie non fuit, idem non dicet; qui secundo Claudii anno Romam profectum, & octavodecimo a Christi morte, quod sæpe jam diximus, Hierosolymis fuisse scribit. At quænam, inquiet aliquis, pastoris hæc erat diligentia tot annis a grege abesse? Illud scilicet nequaquam animadvertens, non sponte, sed Claudii edicto coactum discessisse. Nullum igitur illi periculum imminebat, ne absentis locum occuparet alius, quando & Linus & Cletus sacrorum procurationem habebant, & æmulus aberat Narcissus, nec minus Romanorum erat Episcopus Hierosolymis quam Romæ. Numquid enim non Athanasius eo tempore Alexandrinorum Episcopus fuit, quo Arii actione, impietate Constantii coactus est in exilium proficisci? quorum sententiis cum noluisset Liberius Romanus Pontifex subscribere, ipse quoque, ut Ammianus ait, in insulas est deportatus. At de Athanasio scribit Nazianzenus, quod non exilium, sed peregrinatio illa fuerit, nempe quod aliquandiu exul pro fide, demum revertens, totius Ægypti humeris sit reportatus. Numquid non item Eusebius Pontifex Vercellensis erat, cum eadem actus tempestate ab Occidente in Orientem delatus est? ille inquam Eusebius, ad cujus reditum Hieronymus scribit, vestes lugubres lætis universam Italiam commutasse. Numquid non Hilarius Pictavorum erat Pontifex cum a propria sede exul, universam Galliam discessu suo afflictam & consternatam reliquit? Quod si omnino absentes, Pontifices dicendi non sunt, videamus ne illi trecenti decem & octo a Constantino Magno evocati tantisper Episcopi non fuerint, quoad Niceæ pro Christiana Republica constituenda sunt commorati: idcircoque nihil eo nomine potuerint statuere. Porro si epistola ad Timotheum posterior anno Neronis quartodecimo scripta fuit, quo tempore nos diximus Petrum Romæ fuisse, nec illius nomine salutem dicit Paulo discipulo, mirum videtur Persuasori, mihi vero nequaquam. Ut enim mirum fortasse confiteremur, si cum aliunde Romam scriberet, non salutasset Petrum qui princeps in ea Ecclesia erat; sic cum Roma alio scribit, non necesse est omnium qui Romæ sunt nomine salutem ascribere. Prius namque illud nisi faceret, alienum ab officio posset videri; at vero alieno nomine sa-

lutare ita demum consuevimus, cum ab ipsis, quorum nomine salus est adscribenda, accepimus in mandatis. Nisi fortasse Paulum per præconem annunciasse credimus, quotiescumque litteras daturus erat, ut illis omnium nomina adscriberentur. Pudet, pudet profecto in puerilibus, ut levissime dicam, conjecturis refellendis operam ludere. Si enim sola antiquitate teste uti vellemus, maximum robur haberet, sacris etiam litteris attestantibus. Quo enim propius aberat a Petri obitu, eo certius quæ vera erant scire poterat, quæ deinceps per manus tradita ad nos usque devenere. Nunc vero cum ad longissimi temporis persuasionem, sanctissimi quoque & antiquissimi authores accedant, simile est huic opinioni contradicere, ei quod de Gigantibus Poetæ fingunt, pugnare cum diis.

PERSUASIO XV.

PRæter epistolas jam dictas Pauli e Roma missas, sunt quædam aliæ familiares responsivæ epistolæ ipsius ad Senecam Neronis Imperatoris præceptorem scriptæ, quas ego nonnullis argumentis tunc fuisse scriptas arbitror, quum Paulus secundo jam Neroni præsentaretur. Primum, quia jam Nero Cæsar furibundus, atrox, petulcus, adulter, & omni prope vitiorum contagio fuerat pollutus, quod de priori ejus quinquennio nullus credere potest. Secundo quia id temporis Paulinæ quædam epistolæ, quas ubi in priori captivitate Romæ teneretur, ad quasdam Ecclesias direxerat, ad manus Senecæ jam tunc devenerant, ex quibus ille non nihil profecit, quod priori biennio, quo Romæ tenebatur Paulus, fieri non potuit. Tertio quod Seneca in una epistolarum ad Paulum descriptarum, Romani incendii a Nerone facti meminit, quod ad finem declinante Neronis imperio factum est, quum Orosius non ita multo post, Petrum & Paulum communi mendacio deceptus, a Nerone martyrium passos scribat, & sequenti mox autumno, pestilentiam Romæ obortam adeo magnam, ut uno autumno ad triginta millia hominum vita decesserint, quam pestilentiam Neronis Imperio decrescente factam, Svetonius in vita ipsius designat. Illis itaque ambobus Romæ degentibus, Paulo in carcere, Seneca in Regia Neronis, cum alter de altero magna sibi polliceretur, & neuter neutrum alloqui potuisset, vel quod inde utrique immineret periculum, quandoquidem lege cautum fuerat, ne quispiam Christianum, aut Judæum alloqueretur, vel quod Senecæ non fuerat integrum Paulum in carcerem visitare, ne quid exinde tyrannum offenderet, aut ipse quoque conjiceretur in carcerem. Quapropter epistoliis hanc colloquendi sarciebant penuriam, & quidem mutuum amorem utrinque præseferentibus, neuter tum Petri alicubi meminit, qui viginti quinque annis tum Romæ agere debuerat, nondum tamen fuerat Senecæ doctissimo in Christianosque benignissimo homini cognitus, cui procul dubio non nihil gratificatus fuisset, si quod Paulus ob carceris impedimentum non poterat, ipse ejus desiderio satisfecisset, & de

& de Christo secum confabulatus, in numerum Christifidelium asseruisset; quo Paulus etiam facere debuit, ut ablata sibi Senecam alloquendi copia, eum ad Petrum nulli Apostolorum postponendum relegaret, qui nihilo deterius fidei Christianæ primordia ei tradiderit. Sed quis ni forte exoculatus non videat, omnia hic repugnare pestiferæ huic opinioni, quod Petrus Romam unquam venerit a Nerone passurus, cum tot rationibus convincatur, ad ultimum usque Neronis imperii annum, Petrum Romam numquam venisse: tantum abest, ut martyrium ab eo passus fuerit. Nam legitur & in ea, quæ tertia est Senecæ ad Paulum epistola, quod ejus plurimum rei causa, Nero Apostolo fuerat indignatus, quod a ritu & secta pristina Judæorum, qui Pharisæus olim fuerat non solum ipse recesserit, sed & aliis hoc suaserat faciendum. Quod plane Petrus prior Paulo Romæ facere debuerat, si tot annis ante adventum in Urbem ipsius illic resederit.

DISSUASIO.

QUod ad Epistolas Senecæ & Pauli attinet, credo utique dicenti Hieronymo aliquando extitisse eas quæ veræ germanæque putarentur. At quæ nunc circumferuntur, neutrius esse magnopere contenderim, si tamen ibi sit contendendum, ubi neminem alicujus vel ingenii vel judicii virum secus atque nos opinaturum esse confido, eaque potissimum conjectura, quæ plurimum semper apud doctissimos quosque valuit, stili scilicet & elocutionis. Si enim lectioni mixtum debet esse judicium, qui Senecam, qui Apostolum paullo diligentius legerit, istud ipsum ut puto, statim non verebitur affirmare. Quare non timebo id quod aliqui hac demum ætate in iis quæ Hieronymi nomine inscribebantur, quod humaniorum litterarum professores in Dialogis Platonis, in Rhetoricis ad Herennium, in problematis Alexandri, in Luciani Dialogis, in epistolis Phalaridis, quod olim Aristophanes in eo opere quod Hesiodi dicebatur, quod denique, ut ait Fabius, identidem severi illi veteres fecerunt, ut libros qui falso viderentur inscripti, familia summoverent, & ego nunc facio, ut paucas brevesque epistolas ab eorum quorum nomine scriptæ sunt elocutione penitus diversas, ipsorum nequaquam esse pronunciem, præsertim cum adeo gravis hæc causa sit, ut pene Paulo abstulerit epistolam ad Hebræos, quod stilus non Pauli, sed Clementis esse videretur. Nolim tamen Persuasorem idcirco hæc dicta esse opinari, quod aliter non potuerim ictum illius declinare. Nam etsi illorum esse concedimus, quorum nomine inscribuntur, nihil ea propter fit causa nostra deterior; quandoquidem ex Tacito certum est Senecam duobus saltem annis ante Neronis mortem fato concessisse. Hieronymus quoque in libro de Viris illustribus; *Seneca*, inquit, *biennio antequam Petrus & Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est*. Nos vero postremo denique Neronis anno Romam Petrum advenisse jam diximus, nec tamen

si Ro-

si Romæ fuisset eo tempore quo scriptæ finguntur, protinus necesse esset Petri mentionem fieri, quod satis ostendimus, cum de epistola ad Timotheum loqueremur.

PERSUASIO XVI.

A*mbrosius sermone 67. dicit de Petro & Paulo* una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam. *At Linus in Passionibus Petri & Pauli, dicit eos, nec eodem tempore passos, nec eodem loco, nec eodem tyranno jubente. Præterea Josephus qui tempore Neronis vixit, scripsit Romæ historiam de bello Judaico, & in ea meminit interfectorum a Nerone, & tamen non meminit Petri, quem certe non omisisset, si vere a Nerone occisus fuisset. Fuit enim Josephus Christianorum amicus & libenter data occasione ipsorum meminit. Scribit enim de morte Christi lib. 18. Antiquitat. & Joannis Baptistæ ibidem, & Jacobi lib. 20. Adde quod Petrus erat senex quando Paulus erat adolescens; nam post passionem Domini Paulus vocatur adolescens, Actorum 7. quo tempore Petrus jam uxorem habuerat, & tamquam annosissimus omnium Apostolorum, primus inter eos habebatur, & tamen Paulus ad senectutem etiam pervenit, ut ipse scribit in Epistola ad Philemonem; igitur non est verisimile eos uno tempore obiisse.*

DISSUASIO.

EX recentioribus quendam moribus atque doctrinà hac ætate celebrem, ejus candoris esse ex iis quæ scripsit, & quæ gravissimi testes tulerunt, nobis est perspectum, ut moribus suis ceteros fingens, non facile sibi persuaderi possit, aliquos fuisse, qui a se scripta sub aliorum nomine publicarent, quod ut modeste ipse credit, utinam ita vere nobis persuaderi possit. Recte enim Nazianzenus inquit, eum qui male facere paratus non sit, non temere etiam id de aliis opinari. Minime igitur mirandum, si vir candoris ingenui, Petri & Pauli vitas ab eo scriptas credidit, cujus nomine erant inscriptæ, licet ejusmodi non sint, ut Petri Successoris non authoritate tantum, sed doctrina etiam & sanctitate dignas suspicemur. Quare non solum id quod Persuasor sentimus, sed eo etiam nomine præclare de illiu. .dicio judicamus (1). At si ut Lini & Dio-

(1) Vir sua ætate moribus atque doctrina celebris, cujus candorem hujus dissuasionis initio laudat Cortesius noster, est Jacobus Faber Stapulensis, quem e Græco in Latinum transtulisse suppositios Lini Papæ Libros *de Passione SS. Petri, & Pauli* inscriptos, Persuasor affirmavit: At claris. Fabricius in Cod. Ap. N. T. pag. 777. eos non a Fabro versos, sed tunc primum latine, prout invenit, vulgatos ostendit; optimoque proinde jure arguit Sigebertum *de Scriptoribus Eccles. cap. 2.* necnon Anonymum *in vita SS. Nerei & Achillei apud Surium ad diem 12. Maii*

& Dionyſii ſuppoſitas vitas recte intellexit, ſic eodem judicio caviſſet; ne argumento uteretur quod contra ſe poſſet retorqueri, nequaquam tam longus fuiſſet in iis enarrandis, quæ Joſephus ſcripſit. *Mirum*, inquit, *quod qui libenter Chriſtianos nominat, Petrum Romæ occiſum non dixerit: quare par eſt credere Hieroſolymis trucidatum eadem tempeſtate, qua Jacobus & Annianus, quorum in* xx. *Antiquitatum Joſephus mentionem fecit*. At vero illud magis mirandum, ſi Petrus Hieroſolymis trucidatus eſt, ubi & Jacobus, cur illius, ſicut & Jacobi obitum Joſephus non deſcripſit. Nec id quidem advertit Perſuaſor, cum tanta Chriſtianorum cædes extiterit, ut etiam apud Romanos, authore Tacito, (*lib.* xv. *Annal. cap.* 44.) orta ſit miſeratio; ejus tamen rei Joſephum omnino non meminiſſe. *Pereuntibus*, inquit, *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammis traditi, atque ubi defeciſset dies in uſum nocturni luminis uterentur . . . . . . Unde quamquam adverſus ſontes, & noviſſima exempla meritos miſeratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumerentur*. Sumpſerat nempe Joſephus Judæorum res, non Romanorum narrandas. Quod vero ſcribit Perſuaſor de filiis, uxore, & ſocru Petri, licet bene latine & verbis ſane bonis ſibi loqui videatur, nondum plane intelligere potui quid ſibi velit; auguror tamen ea ætate ſibi Petrum confixiſſe, ut ad Neronis poſtremum annum pervenire non potuerit. Nos vero ſi qua Sybilla nobis in explicanda ſententia acceſſerit, tum demum cum ea declarata fuerit, reſponſionem accommodabimus. Interim cum nihil ea de re certum acceperimus Perſuaſori lapidem hunc relinquimus commovendum (1).

PERSUASIO XVII.

Oſtenſo quod Petrus Romæ mortem non receperit, reſtat dicere ubi locorum pro Chriſti nomine paſsus ſit. Et antequam id probem, id teſtor prius, nullum teſtimonium divina ex litteratura huc trahi poſse, quo quis Paulum indubie Romæ paſsum fuiſse a Nerone oſtendat. Nam dum poſtremo jam Neroni oblatus fuerat, & ad Timotheum ſcribens, hæc interpoſuit verba; Ego jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat; *in eis Paulus decrepitam ætatem, & non martyrium ſuum intellexit, quem interea dum*

Maii, Græce eos a Lino ſcriptos aſſerentes, quemadmodum & Labbeum alioſque, qui græce & latine eoſdem pluries editos affirmarunt. Numquam enim græce prodierunt: qui latine typis extant procuſi, hæreticis ſane opinionibus non carent, & jam paucis exceptis, nemo eruditorum eſt, qui ſuppoſititios non cenſeat. Voſſio *lib.* 2. *de hiſt. græcis cap.* 9. barbari cujuſdam Monachi opus videntur. Doctiſſimus tamen Chiffletius, idem *de Paſſione SS. Petri & Pauli* opus Lini nomen præferens, ſincerum & ab omni Manichæorum fuligine liberum aſſervari teſtatur in antiquiſſimis MSS. Biſontinis.

(1) Ex eo enim quod uxorem habuerit fue-

dum hæc scripserat, valde senio detritum & decrepitum plane fuisse, si non alio testimonio, certe vel hoc solo constat, quoniam ante decem annos Philemoni suo scribens, senem se nominavit: Cum talis sim, *inquiens*, ut Paulus Senex. *Quantum vero putas intra hoc decennium continuis laboribus, omnium Ecclesiarum sollicitudine, corpusculum Pauli exhaustum & maceratum, ut indicare Timotheo suo charissimo cogeretur, quo Romam accelararet, suoque adventu mortem ipsius præverteret, qua ipse brevi fuerat resolvendus. Nam quod Spiritu Sancto illustratus, liberationem sui e carcere præviderit, verba ipsius indicant. Significans enim quomodo in priori ante Neronis tribunal statione, causam suam solitarius, & omni patrono destitutus peroraverit, a Neroneque ereptus fuerit, sub hæc ita loquitur:* Liberatus sum de ore Leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & salvum faciet in regnum suum cæleste; *hoc est ad ministerium corporis sui mystici Ecclesiæ sanctæ, quemadmodum per* regnum cæleste *Gregorii auctoritate, Ecclesiam in sacris scripturis sæpiuscule nominari diximus. Sicut enim sua spes non illum fefellit, ubi in priori captivitate constitutus Philemoni scripserat:* para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis; *itaque hic eum decepit. Sunt enim pleraque alia testimonia, eum a Nerone liberatum etiam secundario fuisse, veluti epistola illa Senecæ, quam Apostolo in carcere degenti miserat ipse. Ex quibus proclive est creditu, Neronis violentiam Paulum evasisse. Verum ne hic longius justo immoremur, jam Petrum & Paulum Hierosolymis passum, testimoniis irrefragabilibus confirmabimus. Primitus solius Christi verbis ad Scribas & Pharisæos, imo ipsam Hierosolymam apud Matthæum (cap.* XXIII. *) & Lucam (cap.* XIII. *) loquentis:* Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobis metipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum ..... Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, *&c. Tandem dicit:*

di-

fueritque primus Apostolorum; non sequitur Petrum senem fuisse quando Paulus erat adolescens, sed sequitur ad annos tunc virilitatis pervenisse. Nec est ullo modo credibile senes a Christo fuisse electos ad summos obeundos labores & orbem terrarum fere totum peragrandum, quemadmodum neque credibile est, adolescentulum Paulum ad Apostolicam dignitatem, ad quam sollicitudo omnium Ecclesiarum pertinebat, fuisse assumptum. Demus ergo Petrum fuisse annorum circiter L. quando erat Paulus circiter XXV. hoc est duplo seniorem; tamen adhuc potuerunt ambo esse senes & simul mori. Fuisset enim postremo Neronis anno Petrus annorum LXXXVI. & Paulus LXI.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt *&c. Hæc loquutum Christum non de prophetis legis veteris, sed de Apostolis, exponit Joannes Chrysostomus homilia in Matthæum 75. ac ita dicit.* Significat iis verbis Christus, Apostolos, & eos qui cum Apostolis, & post Apostolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant. *Quod divus Hieronymus litterarum sydus, clarius erga hæc verba Christi immoratus, interpretatur, dicitque simul hic obscura juxta Apostolum scribentem,* varia esse dona discipulorum Christi, alios sapientes, qui noverunt quando habeant proferre sermonem, alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apostolorum Apostoli, & persequuti eos sunt de civitate in civitatem, expellentes de Judæa, ut ad gentium populum transmigrarent. *His verbis Hieronymus clarissime ita & Paulum & Petrum Hierosolymis passos declarat. Et ne alicujus testimonium desideretur, Nicolai etiam Lyrani horum Christi verborum interpretationem subnectamus.* Ex EIS OCCIDETIS, *exponit Lyra*, sicut Jacobum fratrem Joannis, Actuum cap. 12. & Stephanum, Actuum capite 7. & multos alios. ET CRUCIFIGETIS, ut Petrum, & Andream fratrem ejus, & multos alios. FLAGELLABITIS, sicut Paulum & Sylam, ut Act. cap. 16. *& secunda ad Corinthios* cap. 11. traditur. *Quis contra hæc firmissima testimonia vel hiscere deinceps poterit? Quis reclamare? Quis non modo Hieronymum, Chrysostomum, Nicolaum Lyranum, sed & Christum mendacii arguere poterit? Cum ipsemet apud Lucam eadem repetiverit verba de Petro, Andrea, & aliis quibusdam Apostolis, ea sese loquutum designat, inquiens:* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam vobis quem timeatis: timete eum, qui post quam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. *Præterea dicit Christus Hierosolymis, & non Romæ; a scribis & Pharisæis, & non ab Imperatoribus Romanis occidendos suos Apostolos, quamvis non negem, quosdam etiam extra Hierusalem fuisse interemptos.*

DISSUASIO.

Bene habet. Tandem aperuit Persuasor noster eam, quam de Petri morte haberet opinionem, nec eam ipsam Phrygis aut Mysi alicujus testimonio subnisam, sed *Hieronymi*, inquit, *litterarum syderis*: illius, inquam, Hieronymi, qui non semel tantum, sed iterum & sæpius Romæ Petrum fuisse, & a Nerone trucidatum scripsit; illius, inquam, qui cum nuper ipsius Persuasoris sententia mendax esset & sibi contrarius, in cœleste sydus repente est immutatus. Nempe quod tandem adhibitis fidiculis & eculeo visus est Persuasori aliquid confiteri; iis quæ sæpius ante dixerat contrarium & repugnans. Sed Hieronymi verba audiamus. *Paulus occisus, crucifixus Petrus.* Ubinam, rogo, Hiero-

ronyme? Num Hierosolymis? Minime id quidem, essem enim hac ratione mihimet ipsi contrarius, sed Romæ sub Nerone, postquam de civitate in civitatem, & de Judæa a Judæis expulsi, ad gentium populum transmigrarunt. Sed hæc fortasse ita intelligi debere negat Persuasor. Accedat rursus ipse Hieronymus declarator verborum suorum, qui in epistolam ad Galatas, in libro de Viris illustribus, & plerisque aliis in locis non per verborum involucra, & quæ interprete indigent, sed manifeste Romæ dicit jugulatum Paulum, crucifixum Petrum. Sed nimirum nihil est contra semet ipsum tam munitum tamque armatum, quam mendacium, quam veri dissimilitudo. Extorsit nempe veritas ipsa ab imprudente Persuasore, ut quem prius, si non verbis, re certe ipsa tam male acceperat, nunc, ut vere est, *litterarum sydus* appellaret, ut verum illud, quod nos asseruimus ejus testimonio innitatur, qui etiam adversarii verbis tantopere sit commendatus; ut nemo deinde credere possit eum mentitum, cui etiam adversarii tam magnificum titulum tribuere non vereantur. Illud insuper, quod ex Chrysostomo citat, etiamsi ipse negaret, nos utique verum esse contenderemus, *Apostolos* scilicet *ventura prædixisse, trucidatosque Hierosolymis*, ut majorem minoremque Jacobum: quare in re non dubia, testibus utitur minime necessariis. Lyrani vero nobis non vacat, nec si vacaret, liberet excutere verba, quem jam sæpius Persuasor ipse tam acerbe insectatus est, ut nobiscum ne an cum ipso sit, magnopere non curemus, præcipue cum idem ipse Lyranus sæpius dicat Petrum Paulumque Romæ sub Nerone occisos. Sed si numquam id dixisset, adversareturque omnino opinioni nostræ, sexcenti superessent, quos eidem opponerem, Vincentius scilicet Gallus, Jacobus Varagineus, Joannes Beleth, & ejus generis complures, ut quod vulgo in proverbio est, *cum Bitho Bacchius*.

PERSUASIO XVIII.

Videre mihi videor, satis prolixe eorum me subnervasse opinionem, qui Petrum ut Romanum Episcopum celebrant, & hoc nomine Romanis Pontificibus nihil non tribuunt, dum in Summi Apostolorum Principis (ut ajunt) ipsi locum suffecti sint, hanc desultoriam potestatem, ceu per manus sibi tradant. At vero si quis roget, quomodo hæc falsissima persuasio in Ecclesiam obrepserit, dicam compendio. Si alia quoque non minus nociva, quorum recens est adhuc memoria, negligentia temporum rata habentur . . . . quid de tam remotis ac perturbatissimis temporibus, Romanæ curiæ palpones circa Petri Romam adventum, passionem, & Pontificatum confingere non poterant? . . . . cum eorum temporum nullam certam habeamus historiam, præter commentitias illas de Petro & Paulo passiones, quæ adeo sibi non constant, ut omnibus etiam tacentibus, ipsæ se satis confutent. Præsertim quæ Græcorum lingua conscriptæ sunt: quod vel solum argumento esse possit,

tas

eas falsissimas esse, cum hæc natio ab omnibus passim scriptoribus in historia, mendacii accusetur, Juvenale dicente : Quicquid audet Grecia mendax in historia ; *& alibi non sine joco* mendacem Græculum *nominat. Et breviter: nemo miretur, hoc apertissimum mendacium suos patronos habere ; cum non desint etiam qui Tusciam* patrimonium Petri *apellant, qua voce numquam delirius dici aut cogitari aliquid potuit. Et Plinius haud ignobilis author,* nullum impudens mendacium inveniri dicit, *quod teste careat.*

DISSUASIO.

QUod ad Romani Pontificis primatum spectat, etsi me de sola Petri ad urbem Romam profectione modo tractaturum initio operis promisi, non video tamen, cur ea potestas res commentitia dici possit, quæ a CHRISTO profecta testes habet viros sanctissimos probatissimosque & Apostolicis temporibus æquales aut proximos, in quibus nulla omnino suspicio suboriri potest, cur eis hoc fingere in mentem venisset. Sed & cur Græcis authoribus hac præsertim in re fides adhiberi non debeat, omni prorsus ratione caret. Quid enim, si profani Græcorum scriptores imperiti mendacesque aliquando dicti sunt, num & sacri pariter eodem vitio laborabunt? Num mendacii arguemus Dionysium Corinthiorum Episcopum, Cajum, Origenem, Eusebium, Joannem Antiochenum cognomento Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & alios ejusmodi sexcentos? Sed neque illud quisquam mente sanus sibi fingere poterit, Græcos quantumlibet mendacissimos, voluisse comminisci, quod Petrus Græcia & Oriente relictis, Romam se contulerit, cathedram Sacerdotalem ibi locaturus : cum ea res magnam Græcis gloriæ speciem eripiat. Quare & Græcis hac in re maxime fides est adhibenda, & iis potissimum Latinis, qui Apostolicis ferme temporibus floruerunt, quorum multos superius enumeravimus. At solam Tertulliani authoritatem repetere non gravabimur, qui in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos scriptum reliquit : „ Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas „ ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ „ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes „ faciem. Proxima tibi Achaja, habes Corinthum : si non longe es a „ Macedonia, habes Philippos ; si potes in Asiam tendere, habes Ephe„ sum: Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque au„ thoritas præsto est statuta. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam A„ postoli cum sanguine suo profuderunt : ubi Petrus passioni Dominicæ „ adæquatur ; ubi Paulus Joannis exitu coronatur : ubi Apostolus Joan„ nes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in „ Insulam relegatur „. Hæc Tertullianus. Quibus in verbis plura animadversione digna sunt. Primum, quod ex Ecclesiis, quas hic commemorat, sola tantum in fide Catholica superest Ecclesia Romana.

Deinde; quod cum Ecclesiæ aliæ florerent, ex Ecclesia Romana tantum in cæteras fluxit authoritas. Tertio, quod etiam ad nostrum institutum facit, *Petrum Romæ passioni Dominicæ adæquatum fuisse*, hoc est cruci affixum. Quarto, Paulum illic *Joannis Baptistæ exitu*, hoc est capitis truncatione fuisse coronatum. Quinto Joannem Evangelistam, postquam in fervens oleum esset demersus, cum nihil ex eo damni passus esset, in Pathmos insulam fuisse relegatum. Sexto, trium horum Apostolorum præsentia Romanam Ecclesiam nobilem ac illustrem esse redditam, sed ex eo præcipue felicem, quod *Apostoli duo Petrus & Paulus totam huic Ecclesiæ doctrinam una cum sanguine suo profuderunt*. Quot veteres tum Græcos tum Latinos scriptores superius produximus, qui omnes maximo consensu Petrum Romæ Episcopum obiisse confirmant? Si igitur hæc veritas tot nobilissimis authoribus jam recepta est, quis nisi impio furore obcæcatus penitusque delirans, eam in controversiam amplius revocare audebit? Cum præsertim nemo omnino ante mille quingentos annos, præter Marsilium & Persuasorem, ne contrarium quidem somniaverit? Quo fit, ut risu dignissimum sit, quod Persuasor opinatur, Petrum Hierosolymis fato concessisse: id quod nemini scriptorum unquam antea in mentem venerat. Repetantur omnes ad hanc usque diem scriptæ historiæ, legantur sacrarum litterarum interpretes quotquot græce latineque scripserunt, excutiantur commentaria, nemo penitus reperietur, qui tam impudens atque immane mendacium ausus sit excogitare. Verum usque adeo cæcutit Persuasor, ut non videat quanam ratione cavilli ejus omnes in suum ipsius caput retorqueantur. Prima enim persuasio, quæ dissidio nititur historicorum, novo hoc Persuasoris commento, facillime dissuadetur. Nam si quorumdam historicorum mutua inter se contradictio, historiæ fidem tollit; quid fieri putabimus ubi cuncti maxima consensione repugnant? Omnes enim una voce reclamant, Petrum non alibi occubuisse quam Romæ. Idem de cæteris persuasionibus dicendum, quas facile singillatim retorquere possemus, ni ad exitum properantes, actum agere gravaremur. Quamobrem illum unum addere satis sit, quod Persuasor longe deteriore conditione Petrum facere conatur, quam aliorum Apostolorum quemlibet, cum tamen Petrus Princeps omnium fuerit. Nam de cæteris ferme omnibus certum est, ubi mortui sint; de Petro autem juxta hoc mendacium nescitur, ubi locorum martyrio vitam finierit, quo nihil profecto absurdius potest excogitari.

Absoluta prorsus quæstione, cujus gratia laborem hunc suscepimus, liberum nobis erat finem facere, ni me movissent quædam in ea parte operis, quam Persuasor *cavillos* inscripsit, jam scilicet prævidens, & propemodum divinans quid a quoque contradicendum esset. Quod an illi commode ceciderit, aliorum erit judicium. Ibi de duobus Marcis in sacris litteris mentionem haberi magnopere contendit. Quæ videlicet mul-

